

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**I. N. J. Damnabilis Socinianismi Gangræna, h. e. De Sectæ
Socinianæ Natura, Autoribus, Antecessoribus atqve
Progressu Dissertatio Historico-Theologica**

Engelken, Heinrich Askan Engelken, Heinrich Askan

Rostochii, [1706]

VD18 13121898

urn:nbn:de:gbv:45:1-13678

23.
49
I. N. J.
**DAMNABILIS
SOCINIANISMI
GANGRÆNA,**

h. e.

De

Sectæ Socinianæ Natura, Autoribus, Antecesso-
ribus atqve Progressu

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA,

Quam

Consentiente Rev. F. Cte Theologicâ,

PRÆSIDE

DN. HENRICO ASCANIO

NOBILI/

SS. Theol. Doct. Ejusdemqve Prof. Publ.

FAUTORE PRÆCEPTORE

Studiorumqve suorum **PROMOTORE**

omni observantiâ colendo,

Anno 1706. d. 6. Febr.

IN ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

AUDITORIO MAJORI

Publicæ disquisitioni

offert

SAMUEL Krüger/ Gedanens.

SS. Theol. Cult.

ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampl. Sen. Typogr.



VIRIS

Magnificis, Generosis, Maximèqve Strenuis

DN. JOACHIMO HOPPIO, Jcto celeberrimo,
Incl. Reipl. Gedanensis CONSULI Gravissimo, Rerumqve Bellicarum &
Castelli Mündensis PRÆFECTO Vigilantissimo.

DN. FRIDERICO Gottlieb Engelsken/
Ejusdem Reipl. CONSULI & SCHOLARCHÆ Gravissimo.

^{et}
Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis

DN. GABRIELI FRIDERICO SCHUMANNO,

DN. SALOMONI GABRIELI SCHUMANNO,

Nobilissimi Dicasterii Ged. Adessoribus Dignissimis,

^{Nec non}

Admodum Reverendo, Clarissimo Doctissimoq;

DN. NATHANAELI GRISCHOVIO,

Ad Ædem S. Barbaræ Symmystæ Meritissimo,

Denique etiam

Nobilissimis, Spectatissimisq;

DN. CAROLO von DORN,

Tutori qvondam suo fidelissimo,

DN. BARTHOLOMÆO SCHREITIO,

Centum - Viris Providentissimis,

DN. CAROLO LUDOVICO WAHLIO,

Patritio Gedanensi Conspicuo

DOMINIS, PATRONIS, EVERGETIS atqve FAUTORIBUS
omni observantiæ cultu prosequendis

*Hoc quaecunque Studiorum Specimen, in debita gratitudinis
argumentum, ulterioremqve sui commendationem, cum ar-
dentissimo omnigenæ prosperitatû voto, submissâ mente con-
secras*

subjectissimus Eorum Cliens

SAMUEL Krüger / Gedanens.



DN. JOA
Incl. Reipl, G

DN. FI
Ejusdem

DN. GAB

DN. SAL
Nob

DN. N

DN. BA

DN. CA

DOMINIS

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

Farbkarte #13

B.I.G.

e Strenuis

Cto celeberrimo,
Rerumqve Bellicarum &
ntissimo.

eb Engeldfen/
CHÆ Gravissimo.

ltissimis

SCHUMANNO,
SCHUMANNO,

as Dignissimis,

octissimoq;

SCHOVIO,
meritissimo,

q;

DORN,

no,

CHREITIO,
mis,

O WAHLIO,

que FAUTORIBUS
vendis

cimen, in debite gratitudinis
sui commendationem, cum ar-
istatū vore, submissa mente con-

Eorum Cliens

. Krüger / Gedanent.



PROOEMIUM.



Historiam rerum earum, quas tractare suscipimus, cognitionem non iucundam minus quam utilem esse, communis hominum Magistra ratio & sole clarior experientia quam evidentissime demonstrant. Indeque sicut in refutandis hæresibus primum duce consuetudine, magis autem perspectâ utilitate esse solet, historiam ortus & progressus earum tradere, quia id ipsum maximam rebus tractandis largitur lucem; ita illud etiam in refutatione Socinianismi, sectæ maximè pestiferæ, optimum reperiet locum. Sunt sanè, nemine qui rectius rem considerat, diffidente, *religione Satana*, quæ à satellitibus ejus furiosissimis Socinianis, idque, o nefandum facinus! adversus DEUM atque JESUM nostrum in hunc usque diem emittuntur; non minori sanè jure eo titulo exprimenda, quam *horribiles Judæorum adversus Christum DEUM & Christianam Religionem libri*, à celeberrimo J. C. *Wagenfelle* sub hoc nomine indigitati; eaque tanto magis abominanda pariter ac observanda, quod pestiferi jaculatores arma sese ex proprio Christianorum, quod Judæi contemnunt, armamentario, Novo puta Testamento, depromere gloriantur, maximamque præ se ferunt pietatis speciem. Verum historia eorum prodit, quod *ex una parte* nova sit hæc pietatem simulans, sed reverà audax & in contemptum Filii DEI nata secta, *ex alterâ* autem parte hæreticis antiquis, ac in Conciliis omnibus œcumenicis damnatis, suum debeat ortum. Ipse *Faustus Socinus* revera infaustus, de *Lalio* Patruo suo profiteri non erubescit in *Fragm. duorum scriptorum*, quæ reperiuntur in *Bibliothecâ Fratrum Polonorum Unitariorum Tom. I.* & quidem p. 782, quod DEUS, quæ illi NB. *uni patefecerit, omnibus manifesta esse voluerit, ut ignorantia te nebris penitus discussis, incipiat tandem Christianus populus ei ex animo fidere, debitamque obedientiam præstare.* Non minus impia sunt horrendaque, quæ ex perverso animo eructare audeat *Christoph. Sandius*, Cadmæus Socinianorum frater, Arii castra strenuè secutus, sicut apparet ex *Nucleo H. E.* p. 149. seq. & ex scriptis contra *Andr. Wiffowattum* Socini Nepotem ac defensorem confectis, ac in *Biblioth. Anti-Trinitar.* p. 171. recensitis. Ille enim p. 50. novam quidem esse Socini sententiam, quando hic per *Jo. 1. 1. seq. hominem* Jesum intelligit, asserit, quod etiam clarius dicit p. 93; interim verba adhibet talia, quibus omnem cum hæreticis collusionem ab eodem Socino remove videtur, cum istam è contrario Defensoribus SS. Trinitatis impudenter adscribere audeat. Lege & oblupefecit, quando scribit p. 50: *nullum hæreticum ante Arium in Articulo de Trinitate cum Ario credidisse; nullum hæreticum ante Socinum eadem de verbo cum Socino docuisse; quin potius omnes hæreticos in eo, quod crediderunt unum esse DEUM, Patrem, Filium & Spiritum S. unam substantiam & tres Personas, cum Ecclesiâ Romanâ consensisse.* Alii falsum est pariter ac blasphemum illud assertum. Nam quomodo hoc de SS. Trinitate dogma potest esse hæreticum, quod cana ac orthodoxa antiquitas, ex S. literis desumptum, constanter

A

stanter

Stanter defendit, (Vid. Sect. II, c. I, fin.) Deinde quid juvare poterit causam Arij, etiam si concedatur, illum primū hanc ad oppugnandā SS. Trinitatē viam esse ingressum; immodò cur sibi non putavit quoq; dictū Sandius, quod p. 93. contra Socin. urget; magnū sanè fuerit *audaces dogmata agnoscere, quos Ecclesia primitiva hæreticos declaravit, Ebonem-Nazaraos, Theodotum, Photinum, aut de consentientibus Bonoso, Priscilliano, Nestorio, Eutichete, Felice Urgellitano, Elipando Toletano, famosis hæreticis, gloriari!* An enim Arius non est adeo *famosus hæreticus* juxta Orthodoxorum sententiam, ut Photinus vel Nestorius, qui ab Ecclesia post Arium demum fuerunt in Conciliis damnati? Neq; est, quod Arij cum Patribus consensum urgere velit Sandius; cum ille fictus sit, ac non minori cum factu idem fecerit Theodotus inter hæreticos paulo antè nominatus, qui tēte ipso Sandio l. c. p. 92. dicebat: *in Ecclesia semper majores omnes, etiam ipsos Apostolos ita sensisse*, ut sentiebat ipse. Quod ad Socinum spectat, non opus erat dicere, nullum hæreticum ante eum de verbo eadem docuisse, cum multo minus Orthodoxorum aliquis id fecerit, notante eodem Sandio p. 92. Quod a. in ipsa de Christo, quem nudum hominem, vocant, sententia Sociniani Antecessores habuerint *Alogos*, interque eos Theodotum Byzantium, iterum asserit Sandius l. c., his inter alia usus verbis: *At idem Theodotianos ante tradidisse, quod post Sociniani (prout ipsorum consensum ambiunt) - probabile videtur. Postquam ista doctrina ab Origene, ut vultur simile est, penitus fuit extincta, demum ultra 13. secula revixit in Socinis, licet hi Evangelium Johannis & Apocalypsin non rejiciant (ceu Alogi) sed in suum sensum oborto solo trahant.* Sane ipsius Socini schola, ceu ex seqq. patebit, asserit fateturq;: *damnatorum ab Ecclesia hæreticorum, Theodoti Photini &c. sententiam* (etb non quoad speciales circumstantias, tamen quoad punctum palmarium) à Magistro suo in mundum reductam esse. Sed ad rem ipsam nos accingamus, duo constituendo *Capita*, primum de Socinianismi *natura*, illud de *historia* ejusdem. Tu autem, de ejus gloria agitur DEUS elementissime, gratia tua nobis perpetuò adsis! AMEN.

CAPUT I. DE SOCIN. NATURA.

S. I.

Proposito nostro ut satisfaciamus, ante omnia perpendenda erit Socinianismi *natura*, quam in rubro dissert. nostræ, ceu ex inspectione patet, indicavimus sequentibus verbis: *Damnabilis Socinianismi gangrena.* Vox ultima h. I. metaphoricè accepta, origine græca est, descendens juxta *Pasorem* in *Lexico* sub hac voce, à *γράω* vel *γράωω*, *depascor*, quod *proxima* quæque subito *depascatur*, ac significat morbi pessimi latèqve grassantis speciem, nempe *membris mortificationem* ab inflammatione ortam. Exinde vox illa damnosis ac latè serpentibus hæresibus ac opinionibus applicari consuevit, prout factum ab ipso

ipſo Paulo 2. Tim. II, 17. Atque hoc modo nos Socinianiſmum quam rectiſſimè *gangranam* damnabilem appellari cenſemus, non aliter ac P. von Maſtricht contrà Cartefianos conſignavit *gangranam Cartefianiſmi*. Miraretur ſanè, qui hæcce legeret Socinianarum fallendi artium ignarus, quando illorum hominum de pietate ſuâ gloriations perciperet. Socinus in libro peculiari, ex hac præcipuè cauſâ dehortari vult Lutheranos ac Calvinianos à religione ſua, quod per ipſorum placita pietatem impediri, per ſua autem maximè augeri, temere profiteatur. Titulus tractatus illius exhibiti in *Biblioth. Frat. Pol. Unitar. Tom. I. p. 693.* ſeqvens eſt: *Quod Regni Poloniae & Magni Ducatus Lithuaniae homines, vulgò Evangelici dicti, qui ſolida pietatis ſunt ſtudioſi, omnino deberent ſe illorum cœtui adungere, qui in iſdem locis falſo atque immeritò Arriani & Ebionitæ vocantur.* Sub initium Tractatus illius Nos quidem & Calvinianos ab Idololatriæ crimine abſolvit, addit tamen, (n. 2. & cap. 2.) quod foveantur ab utriſque talia dogmata, quibus approbati ac reſpectu vix fieri poteſt, ut à nullo ipſorum (peccatorum) vincantur ac poſſideantur: n. 5. autem (reliqua enim omnia recensere nimis longum foret) ſequentia inter alia exhibet: *Atqui ab his omnibus incommodis & periculis, vel penitus vel certè NB. maximè & potiffimè ex parte libera eſt ea religio, quam in eodem Regno (Poloniae) profitentur, qui ſummam injuriâ Arriani & Ebionitæ vocantur.* Verùm non longi erimus in deducendo, quod prætenſa pietatis ſpecies ad commendanda dogmata non ſufficiat. Ea enim de re notabilia exhibet verba ipſe verſipellis Crellius in præfat. libri de uno DEO Patr., quando ait: *ne cogites, pii ſunt illi ac veritatis admodum amantes, quos ſequor. Nam ne de eo nunc quicquam dicam, quod hanc de aliâ opinionem eorum ſepè mores ac facta refutent: multa ſunt vitiorum latebra, & occulti peſtoris humani reſſus. DEO tantum ac Chriſto patent. Itaque magis ſepè verendum eſt, ne, dum de alienâ pietate ad eum modum iudicas, erres.* Deinde non abſque magnâ utilitate ex claris Socini verbis cognoviſimus, acerrimum hunc Anti-Trinitarium ad talem religionem homines deducere allaboraffe, cui omnimodam ab incommodis & periculis ſecuritatem adſcribere auſus non fuit, qualem nos certè veritati Lutheranæ, puro verbo DEI innixæ, non ſolum adſcribimus, ſed & ſtante verbi Divini certitudine, de quâ loquitur Petrus 2. Ep. I, 19, 20, 21, itemque 1. Ep. 3, 15, adſcribere tenemur. Pari

quoque modo ex ejusdem Hæresiarchæ verbis paulò postadducta prolatis percipiemus, quod nobis, ipsius adversariis, salutem æternam planè abjudicare non audeat, quandò in *append.* ejus scripti p. 707. in hæcce erumpit verba: *Hæc denique monitio, ut DEI voluntatem facere prorsus stant, non potest non esse utilissima* (Evangelicis) *sive in suo cœtu sint permansuri, sive ad alterum accessuri. Quare illam grato animo, quæso, accipiant, præsertim ab eo homine, qui illos sincerè amat, nec, quamvis in multis & gravibus erroribus eos versari credat, sic tamen damnat, ut omnino à cœlesti regno exclusum iri affirmet, imò planè sibi persuadet, si aliqui piè vixerint & mundanis cupiditatibus valeant, fore ut omnino serventur.* Quorsum etiam spectant, quæ in *Tract. de Eccles.* Tom. I. p. 328. *Bibl. Frat. Pol.* leguntur sequentia: *Nec nostros homines tam (ut ita dicam) immanes esse crediderim, ut tot viros sanctissimos, qui proprium sanguinem pro JESU CHRISTI nomine fundere non dubitaverunt, idcirco à vitâ æternâ excludant, quod vel in unâ DEI essentiâ plures personas esse existimaverint, vel DEI Filium ante cælum terramq; conditam existisse crediderint.* Et ne quicquam dubii remaneat, in præf. *Explic. initii Evang. Joh. T. I. p. 75.* se eos non statim à fraternitate exclusurum, ait, qui suam opinionem & respuerint, & perniciosissimam quoque esse clamaverint. Quod vero potissimum est, prorsus mirari desinet, qui re benè perspectâ clarè videbit, pellem quidem Socinianorum esse ovinam, mentem verò plus quàm lupinam. Placet id ipsum celeberrimi Grotii, Arminianorum castra secuti viri, qui cœtui Socinianorum accenseri à quibusdam solet, licet ab Hammond eo in passu sit defensus, clarissimis exponere verbis, à Crello præfat. *Tractat. contra Grotium de satisfactione recensitis.* Ad sunt autem inter alia hæcce: *Cùm hæresis sit venenum Ecclesia — quidem præsentissimum, sed tamen hæreseos aliqui sunt gradus, ut sit hac illâ nocentior, peiorem aliquam non reperiri hæresi Socini, ad cujus mentionem pii omnes exhorreant, & tantum interesse inter Papistas & Socinistas, quantum inter tyrannidem & effrenem licentiam.* Ex nostris B. Scherzerus *Colleg. Anti-Soc. Proæm. §. 10.* cùm Socinianis tum nomina personalia ab Autoribus, tum doctrinalia à dogmatibus, quæ sequuntur, convenire ostenderet, summos eorundem, at quantos! errores his verbis exhibet: *Fundamentaliter errant, 1. de DEO & Trinitate, 2. de Christi Personâ & officio, 3. de homine innocente, corrupto, restaurato, resurgente.* B. D. *Abrah. Calovius In der völligen Entdeckung der neuen Socinianischen*

nischen schädlichen Secte / *summam* religionis Socinianæ ejusque
qualitatem accuratè depingit P. I. cap. 5. p. 12. seq., unde ad no-
strum scopum licebit sequentia excerptare : Wie die Principia seyn/
darauf diese (Socinianiſche) Religion entſtanden / ſo iſt auch die Reli-
gion ; eine lautere Verwirrung faſt aller und jeder Stücke des Chriſt-
lichen Glaubens / nach beliebigen Frau Hulda / ihrer verführeriſchen mei-
ſterſchaftigen Verſunft : Welche dannenhero nicht unbillig einem al-
ten zerſtückten und geſtickten Bettlers-Mantel mag verglichen werden/
welcher auß allerhand theils Mahomeriſchen / theils Jüdiſchen / und
zum theil auß mancherley veralteten oder auch neuen Ketzereien beſtehet :
dazu doch die zweene Weiſche Umſtreicher Lælius und Faustus Soci-
nus viel andere neue Lappen angeſticket / ja auch in eine ganz andere
Modell denſelben verwandelt haben. His propositis breviter osten-
dit 1. quod hæreſis Sociniana univerſalem fidem Chriſtianorum
tollat, 2. quod novam fidem ponat, ita ut fidei articulos, in ge-
neralibus ſeu œcumenicis Conciliis per publica ſymbola propo-
ſitos, rejiciat, ac damnatorum ibi hæreticorum errores ex orco
revocet. Illuſtrabuntur hæc paulò uberius, quando D. J. de vitâ
Socini ejusque geſtis agemus. Utiliſſimum autem ad hunc ſcopum
erit, conferre *Differtationem inauguralem* Theologi mox laudati,
hæreſin Socinianam fugiendam ac deteſtandam eſſe, ſvadentem, nec
non J. Gerbardi *Diſputationes Theologicas*, in quibus demonſtratur, veri
DEI gloriam, ſincere pietatis ſtudium ac ſolidæ conſolationis funda-
menta à Photiniano quoque cœtu, quantum in ipſo eſt, labe-
factari.

§. II. Singula Socin. dogmata latius exponere ratio inſti-
tuti non patitur, maximè cum impia Socinianorum doctrina ſa-
tis pateat ex B. D. Schomeri Theologi acutiſſimi *Collegio Anti-Sociniano*,
per diſſertationes publicas nuper D. J. publicato, adjuncto ſimul ut
decet, ad venena Sociniana per reſponſiones accuratas antidoto.
Legi interea iſta poſſunt in *Hiſtor. Eccleſ. j. Muralii* a Dan. Hartnæ, in J.
Gerb. *Diſp. Theol.* p. 1180, continuata p. 932, vel in D. J. *Fabricii Conſideratio-
ne controverſ.* p. 100. ſqq. & *Fried. Spanhemii elencho Controv.* p. 147 ſeq.,
item ſi volupè eſt, in *brevi hiſtoria Socin. Nicholls*, adjuncta illius Re-
ſponſo ad D. Burij *Evangelium Nudum*, Londini Ann. 1691. edita, nec non
in Joh. Hoornbeckii *Sum. Controverſ. Religionis l. VII.* p. 570, qui ibidem
aſſerit, ad cognoscenda Socinianorum dogmata conducere vel

Catechismus Racoviensem, vel Ostorodum, Smalcium contra Frantziū & Volkeſium, quia Socini ſcripta diffuſiora ſint. Qui prolixiorē opinionum Socinianarum exoptat cognitionem, adire poterit *Biblioth. Fratrum Polon.* ex variis in *Fol. Tomis* conſtātem, Ann. 1656. Irenopoli (i. e. Amſtelodami juxta *Sandii Bibl. p. 79.*) editam, quæ præter opera Socini omnia duobus primis Tomis exhibita, varia quoque ſcripta exegetica & didactica continet *Joh. Crellii, Jona Schlichtingii, & Joh. Ludov. Woltzogenii*, quibus ann. 1692 adjuncta ſunt *Samuel. Przypcovii* opera nonnulla. Primaria intentio librorum illorum eſt, ut poſt exhibita ipſius Socini volumina præſto ſint commentarii Sociniani in omnes N. T. libros; quare etiam inter *Woltzogenii* opera reperitur *Comment. in Acta & Epistoſas Jacobi atq; Judæ ab Andr. Wiſſorvatio* confectus, nec non in c. 6. 7. 8. 9. 10. *Johannis* explicatio *Joach. Stegmanni Junioris*, annotante *Autore præſationis* operibus illis præmiſſæ, ne, ſicut addit, liber aliquis N. T. non illuſtratus reperiretur. Haud ingrātum alias erit, de hâc *Bibliothecâ*, quæ nomen geſtat maxime ſpecioſum, judicium percipere ſatis accommodatum. *Dan. Harnacci* in *Contin. Hiſtor. Eccleſ. Micraelii*, quando ait: opus ſolâ quantitate molis, haudquaquam virtutis æſtimandum, niſi quod ſatis carè emitur, cum tamen vix decima pars ſcriptorum in illa volumina congeſta ſit, quæ frequenter in controverſiâ cum bujus generis adverſariis ſolent adduci. *D. J. B. Niemeierus* in *Programmate* an. 1703 edito lit. C. commemorat, quod nonnulli impietatem Socinianam haud aſſumentes illorum tamen hominum ſcripta vel avidè legant, vel aliis legenda commendare non dubitent, idq; 1. ob locorum ſcripturæ explicationem, 2. abſoluti Decreti ſtrenuam refutationem. Verum rectè regerit prælaudatus vir quoad prius: quod ſcripta talia non tam ad genuinum ſenſum ducant, quam ad artem veteratōriam, ſcripturam à genuino & nativo ſuo ſenſu plauſibili quâdam ſpecie & ratione juxta præconceptas opiniones detorquendi; quoad poſterius: quod ita rejiciant abſolutum decretum, ut *Calvinianam Scyllam* vitantes in *Pelagianâ hereseos Charybdin* incidant. De *Catechiſmo Racoviænſi*, tanquam ſcripto ſymbolico Socinianorum, adhuc notare haud ingrātum erit, quod nomen hoc naſtus ſit à loco impreſſionis, de quo poſtea adhuc nonnulla audiemus. Initia ſcripti peſtiferi *Georg. Schomannus* videtur duxiſſe, *Catechiſmum* pro liberis ſuis conficiens, juxta *D. Niemeierum* l. c. B. 4. Reformatio vero ipſius Socini deman-

data

data fuit, & Petro Staterio, teste Socino in Epist. ann. 1603. 13. Novembr. exarata. Videntur autem illi hanc reformationem non perduxisse ad finem; itaq; labor is per V. Smalcium & Hier. Moscorovium potissimum continuatus est, quæ verba sunt Sandii Bibl. Anti-Trinit. p. 78, hoc scil. modo, ut editio in lingua polonica an. 1605. facta illi, (& quidem ea ratione, ut istam ex scriptis Socini - totidem verbis subinde descripserit vid. Nic. Arnold. in præfat. cat. Racov. refutati) in lingua latinâ autem 1609. exarata huic tribuenda veniat. Et hanc ultimam dedicavit Moscoroviu Jacobo I. Magnæ Britannia Regi, sed jussu parlamenti ann. 1653. combusta est. An. 1612. Catechesis eadem in linguam Germanicam translata, Academia Wittebergenfi dedicata fuit a Smalcio, eodemq; per peculiarem tabellarium missa, (vid. Niemeierus l. c. Nic. Arnold. in præfat. dedic. scripti citati, Sandius l. c. p. 101. Lippenius in Biblioth. Reali Theol. p. 263. annum editionis ponit 1608) quæ refutationem ipsius ann. 1620. in vernaculâ pariter lingua per B. Frid. Balduinum (solidum ne pium Theologum, judice ipso Arnoldo l. c.) adornari curavit. Recognovit eam ac auxit J. Crellius, nec non Jon. Slichtingius, item Mart. Ruarus atq; And. Wiffowatiu. Videri hac de re potest Sandius l. c. sub allegatis autoribus, qui sub Wiffowatio p. 147. sequentem scripti istius ponit titulum: Catechesis Ecclesiarum Polonicarum, Unum DEUM Patrem, illiusq; Filium Unigenitum Jesum Christum unâ cum Spiritu S. ex S. Scriptura consentientium. Primum (latine) ann. 1609. in lucem emissâ, & post earundem Ecclesiarum jussu correctâ ac dimidiâ amplius parte auctâ, atq; per viros in his causis inclitos, Johannem Crellium Francum, hinc Johannem Slichtingium & Bukowietz, ut & Martinum Ruarum, ac tandem Andream Wiffowatium recognita atq; emendata, notisq; cum horum tam & aliorum illustrata. Editionem per anonymum F. C. (foran Florianum Crusium) recognitam sequitur in Animadversionibus ad hanc Catechesin, D. Job. Fabricius in Consider. Controvers. p. 113. Refutarunt Catechesin illam præter memoratum D. Balduinum Nicol. Arnoldus, (cujus scriptum commendat Joh. Hoornbeeck. summ. Controvers. p. 570.) sub titulo: Catechesis Racoviana major refutata Franec. 1654, Job. Henr. Alstedius ann. 1652. ibid. & Matth. Wren, Episcopus Eliensis, in Locis S. Scriptura assertis contra Catechismum Racoviensem, Londinæ 1660. Quid multis? omnes Socinianorum placita refutantes Catechismi hujus fundamenta subruunt.

§. III. Crellius quidem loco ante citato, Grotium ob judicium pro-

prolatum castigare instituit, dicens, quod, licet etiam ponatur, errare Socinianos; nullo modo tamen tam atrox illis crimen, quale est, cujus insimulantur à Grotio, obijci queat: quia ea de Christo sentiant, quæ si quis corde credat, ore confiteatur, eorumque vim factis pro viri. li exprimere conetur, eum saluum fore Sacra litera pronunciant. Quorsum citat locum Rom X, 9. seq. & alia. Verum in vanum laborat Apostata. Affectata enim apud eum est ignorantia, quando non videt, quod in istis Script. dictis, quæ adducit, Jesus noster non alio sensu Dominus dicatur, quam ut intelligatur esse *אלהים ידוע* 1 Job. V, 20, æque ut Pater Job. XVII, 3, qui cum Patre mundum ac omnia creaverit, Joh. I, 1. seq., & cui non minus ac illi à Seraphinis *Isai VI.* honor & cultus soli DEO conveniens, Matth. IV, 10, exhibitus fuerit, ceu videre est Joh. XII, 41. 42.

§. IV. Et quis jure mirabitur, Socinianorum Religionem tanti à Christianâ veritate dissensus accusari posse, cum eam principio niti fallacissimo & ad seducendum aptissimo, in solis disco positum sit. Sunt enim illi rationis, non rectæ, hoc est, in foro suo rerum naturalium manentis, sed corruptæ judiciumque sibi de rebus mysterioris ac supra captum suum positis, sumentis (quod est contra monitum Pauli, 2. Corinth. X, 5, ubi rationem captivare, & Ephes. III, 20, ubi DEUM superabundanter facere posse super omnia, quæ petimus aut intelligimus, expressè pariter ac seriò inculcat cum sola Scriptura lumen sit, gressus nostros in vero tramite dirigens, 1 Petr. I, v. 19, 20, 21.) seqvaces. Equidem neque pessimæ huic thesi fucum inducere speciosum negligunt versuti Socini Filii, quâ de re audire placet *Equitem Polonum, Autorem Vindiciarum pro Unitariorum in Polonia Religionis libertate, Biblioth. Anti-Trin. Sandii adjunctarum* (qui est Stanislaus Lubieniecus Christoph. Filius, vid. ib. p. 166) p. 275, ubi de suis ait: *ob diversam Scripture explicationem neminem damnant, altiora se non quarunt, supra ea quæ scripta sunt, sapere non audent, & ea quæ omnem captum humanum excedunt, curiosa indagine violare nolunt.* Verum si dematur fucus, nil nisi cadaver remanebit pessimum. Nonne enim claram Scripturæ literam per fictas explicationes invertere temerarii est, (quâ de abominandâ temeritate prælaudatus egit B. Calovius *In der Entdeckung P. I. c. 4.*) & id negare, quod omnes vident, impudentis? Quomodo autem is mysteria divina indagatione suâ violare nolle dic

ci potest, qui nihil ad literam in S. Scripturâ explicare vult, nisi quod cum ratione suâ consentire statuit? Protestatio sanè Socinianorum facta est contraria! Verum audiamus ulterius, quomodo contrâ nos ob spretum ejusmodi rationis imperium homines isti insurgant. Autor enim *Dissertationis Bibl. Frat. Polon.* præmissæ, (qui est Sam. Przypcovich, juxta *Sandii Bibl. p. 123.*) in hæc erumpit verba: *absurdus & invicem pugnantibus sententiis referta sunt Ecclesie dogmata, quæ quia nobis notitias à naturâ insitas ipsamq; adeo rationem (sc. corruptam & in terminis suis manere recusantem) è stirpe evellunt, fidei obtentu ingeruntur. Quod fieri utcumq; posset, si vim humanæ mentis superarent, non everterent. Quid menti nostræ relinqueretur, si quo prætextu damnare timebit, quæ implicat contradictionem?* Et paulo post ad meliorem excusationem addit: *Si quis est ex sacris oraculis locus, quæ ejus fidem facere videatur, obscurus est.* Meditanti mihi tantâ de re non potuerunt non hæc & similia in mentem venire: Quis unquam dixit, o perverse Socini sectator, contradictoria verè talia simul consistere posse? sed nonne impium existimas, haud velle concedere, DEUM omnipotentem plura posse, quam misera hominum ratio hic valet comprehendere? Quod si ad hominem rerum physicarum ac mathematicarum peritum accedere placet, efficit sane talia, quæ primo adspectu contradictoria & impossibilia videntur. Certissimum est, hominem ordinarii roboris ne quidem ingentis magnitudinis trabem propellere posse; nihilominus tamen veterum Mathematicorum princeps Archimedes, ut Rex Hiero non dicam aliquot trabes, sed navem integram solus propellere posset, ut alia nunc præteream, effecit. Quod si ille ad homines imperitos, rudibus tantum instrumentis assuefactos dixisset, ejusmodi sibi bimet nota esse instrumenta, quorum ope solus navem posset loco movere, annon credis eundem risum responsionis loco reportaturum ab illis fuisse, qui talia dari posse nunquam nisi experti credidissent? An igitur mirum est, in DEO, qui omnes creaturas infinitis modis supergreditur, quidquid esse, quod hominibus sibi relictis ac in spiritualibus rebus plane cæcis ac stultis, *1 Cor. II, 14*, absurdum videtur, quodque à regegitis, qui hic tantum *ex parte* cognoscunt, *1 Cor. XIII, 9*, quoad modum comprehendendi nequit. Reservandum aliquid est futuræ alterius seculi experientiæ, & visioni DEI à facie ad faciem beatificæ, *1 Cor. XIII, 12*. Hic cogitandum

B

dum

dum illud: *Ne futor ultra crepidam!* Imo rectè *Mornani de veritate Relig. Christ. c. 5: enarrent*, inquit illi nobis, qua ratione geniti sint, cumq; liceat de filii (DEI) generatione percontari. Qui ulterius Socinianorum in accusandis Lutheranis, ac si omnia rationis principia abnegent, malitiam perspicere cupit, adire poterit *Andr. Wiffowatii* jam adducti tractatum: *Religio rationalis sive de usu rationis in Theologia*, quem ceu MSC. adducit p. 246, *Bibl. Sand.* ann. 1684. edita, quique in lucem prodiit sequenti an. 1685. Optimè autem, quam infelicitè is probationem instituerit, cognoscet, cui conferre volupe erit *B. Barth. Kempii*, Superintendentis Parchimensis, *Dissert. Inaugural.* illi tractatui eodem anno Præsidi *B. D. C. Kortholto* oppositam, necnon ejusdem *B. Kortholti Dissert. de rationis cum revelatione in Theologia concursu* §. 3. seqq. habit. 1692. Imo ipse *Hulsius* Theologus Calvin. Duisburgensis, qui tamen non minus rationi nimium tribuit, reprehensus propterea à *Regio Profess. Francsqverano*, ceu commemoravimus in *Dissert. de Sententiis in Scripturam S. injuriis* §. 8, socinianum rationis usum pro summo abusu habet lib. 2. tract. de principio credendi haud procul à fine. Excerpta tractatus illius sistunt *A. E. Lips.* an. 1689. p. 275. Quam perversum deniq; sit ultimum de obscuritate Scripturæ S. in locis Socinianis oppositis effugium, vix verbis exprimi potest. Quæ enim est, si hæc non est, affectata oculorum caligo, quando Neo-Photiniani rationem suam de occurrentibus dogmatibus, numne scilicet illa approbare velit an minus, ante consulunt, quam de sensu dictorum Scripturæ S. pronunciare audent, atq; hoc pacto ad mira miseraq; effugia se recipere in explicandis locis coguntur, tunc autem, quasi re benè gesta, de Scripturæ S. obscuritate rhetoricantur. Plurima eo spectantia adversariorum effata coacervare possem; verum cum fatentes passim habeamus reos, remitto tantum ad *B. Alberti in Latereße proth.* §. 13, ubi *Slichtingium & Ostorodum* citat, & ad *B. Calovium* in *dec Entdeckung P. I. c. 3*, atq; in *Socinism. prof.* p. 25. edit. in quarto, ubi *F. Socini*, *Val. Smalcii* atq; *Melch. Schæfferi* huc spectantia verba allegat, nec minus, quomodo circa præcipuos Fidei Articulos regulam suam applicent Socin., ostendit. Notum est præterea, quod S. Scripturam lacerare, præcipuisque dictis privare conentur Sociniani, aut ad minimum ea in dubium vocare, ne tantam retineant in probando vim. Legi de talibus potest malleus Socinianorum

norum modo citatus, in *Socinismo Profl. de Script. S. Controv. 3*, ubi de prætextu circa *Rom. IX, 5. 1. Tim. III, 10. Hebr. X, 7. Act. XX, 28. 1. Joh. V, 7* agit. *Stephan. Curcellæum*, celeberrimum inter Arminianos virum, in *Editione Orig. N. T. textus, variantium lectionum & parallelorum scripturæ locorum additamentis vestita*, ut *Socinizantem* peculiari dissertatione exhibuit *h. l. B. D. J. G. Möllerus*. Variantes lectiones, in quibus sedulo inculcandis reprehensionem promeritus est *Curcellæus*, fiunt ab eo circa loca *1. Joh. V, 7. Rom. IX, 5. Rom. III, 26*. Valeat igitur ista pietatis affectatio, quando *Socin. sub formalibus Scripturæ verbis & specie Christiana simplicitatis virus suum occultare*, ceu ex vero observat *F. Spanhem.*, citans eum in finem scriptam illorum confessionem *Electori Palatino* exhibitam, in *Elench. Controv. p. 145.*, sophistice quærunr. Confer. de voce *Persona* aliisque *Crellius* lib. *de Uno DEO*. Eòque magis peccant, qui in rejiciendis talibus terminis ecclesiasticis, fundamentum debitum in Scriptura S. habentibus, pollicem tam immanibus Ecclesiæ hostibus premunt. Citat huc *Grotium & Curcellæum D. Baier. Diss. de Monarchianis §. 24.* Pertinent eodem Quakeri, ut *Wilb. Caton. & Thom. Lawson*, refutati à *B. J. C. Schomero Coll. Nov. Controv. c. 3. §. 4.* nec non Latitudinarii, à *P. Jurio* in tract. *de Religione Latitudinarii P. I. Cap. VII. usque XI. rejecti*, conf. *Acta Er. Lips. A. 1697. p. 59.* Quid cum *P. Poireto* tentet famigeratissimus *DN. C. Thomasius* in *Diss. ad ejus libros de eruditione p. 16.* videri potest, cui se opposuit *B. Rotbe* *Eccles. Lips.* Fundamentum sententiæ orthodoxæ facile patet, modò observes, hos terminos non à Scholasticorū facie, sed cana Antiquitate ad Doctrinam Divinam, in s. literis quoad rem ipsam traditā, à falsis explicationibus hæreticorum vindicandam, adhibitos esse; unde etiam ex usu æstimari debent, cum verba valeant sicut nummi. Quis enim negaret, innoxia potius vocabula, quam sub specie simplicitatis confusionem ac erronea dogmata, admittenda esse? Conf. *B. M. Chemnitius T. I. loc.*, cujus elegantissima verba magnam partem repetit *Bajerus l. c. Vid. quoque P. Jurius l. c. & breviter, ut solet, pariter ac solidè cel. D. D. Schelguig. Synopsi Controv. art. 6 quæst. 2.*

§. V. Ex pessimo autem istiusmodi principio non possunt non pessimæ fluere conclusiones, inter quas eminet illa jam antè memorata de *negato SS. Trinitatis & incarnationis Christi mysterio*. Equidem, quando in angustiis constituti sunt Sociniani, ad consensum nobiscum in re ipsa provocare haud erubescunt, dissensum in explicatione

constituentes, quâ dere audire juvat *Lubienecium in Vindiciis pro Uni-*
sar. in Polonia Rel. libertate adjunctis Sandi Bibl. p. 176, ubi ait: Consentimus
profecto invicem in symbolo Apostolico, ad ejus professionem baptizati in nomen
Patris, Filii & Spiritus S. Consentimus etiam, si simpliciter secundum Divina-
rum Script. verba clara & mentem hæc SS. nomina concipimus, & vel cum Hilario
credimus, nos baptizatos in confessione Autoris & Unigeniti & Doni - sed quia
tanto mysterio explicando primæ simpliciter rudimenta sufficere non credun-
tur, ideo in explicatione horum SS. nominum Patris, Filii & Spiritus S., licet
in ea omnes baptizemur, dissentimus. Indeque à primis statim temporibus
mutuam cum Reformatis tolerantiam stabilire voluerunt Socinia-
ni, licet ab his merito repulsam sint passi. Audiamus ipsum Wisso-
watium apud Sandium p. 313. 314, qui postquam de Gregorii Pauli
An. 1565. instituto illuc spectante retulerat, seq. profert: sentata
est etiam postea ab unitariis apud Reformatos, qui in Polonia Evangelici nomi-
nantur, reconciliatio; ea conditione, ut manente licet sententiarum dissen-
su, coalesceret concordia ac mutua tolerantia Lublini in Synodo Reformatorum
anno 1612. Sed Reformati adhuc reformandi hos rejecerunt, dicentes, non
posse unionem coalescere (quod sane sibi ipsis merito dictum putare
debent syncretismum vel unionem cum Lutheranis quærentes
Reformati vid. Micræl. Hist. Eccles. p. 863) quamdiu pars altera retineat
opinionem adversas suis. Addit, quod ediderint Calvin. hac de materia
librum: Ignis cum aqua, ad quem responderit Valent. Smalcii. An
vero putas Socinianos libertate quodammodo fruenter ita libera-
les esse in ferendis iis, qui ab illorū opinionibus recedunt? Audia-
mus, quæ Editor operum Samuelis Przypcovii hac de re profert,
sicut legi potest in Actis Lips. A. 1692 p. 415. Verba I. C. inter alia
leguntur sequentia, quæ huc transferre haud inutile erit: Cum isti
(Sociniani) recepta sua de Christi imperio non æterno sed abrogando, Chri-
stosq. ad o in altera vita ad vilitatis humane sortem deprimendo, item de Ma-
gistratu & aliis quibusdam rebus decreta, ponderari consueverint, ab eo ferre
non possent, diris eum devotum obtorto collo ad Christi tribunal condemnandum
quasi traxerunt; quem Papatum inter omnes fere à Papatu segregatas se-
has obtinere, is qui hujus libri editionem procuravit, queritur. Pertinent
huc, quæ de Jeremia Felbingero refert Benthemius p. 905 im Hol-
ländischen Kirchen- und Schulen-Staat; quando ait: da ich ihn 1687.
zu Amsterdam vor der Leydenschen Porte antraff / war er in einem
armseligen Zustand / und hielt sein Leben mit informten der Kinder
flummere

stimmerlich hin. Hätte er wollen zu denen Socinianern treten/würde es ihm an guten Unterhalt nicht gefehlet haben. Allein Er blieb beständig bey der Lehre des Arrii. Et quod reverà mel sit in ore, fel verò in corde Sociniano, quando de unione cum Reform. loquuntur, ex convitiis patet & blasphemii in SS. Trinitatem & Christum æternum DEI filium jactis, quales ex propriis ipsorum verbis collegit *Eduardus in Praservativo* p. 59. seq. (conf. *A. E. Lips. an. 94. p. 475.*) Nos, etsi blasphemias illas libentius taceremus, non possumus tamen non, quo magis pateat doctrinæ illius damnabilitas, impia & ex furore diabolico profecta *Woltzogenii* adducere verba, quando orthodoxam de Filio DEI doctrinā in *Comment. super Johannem*, unā cum aliis ejus scriptis in *Biblioth. Frat. Polon. relato*, c. 3. p. 701 hisce proscindit convitiis: *Hæc nefanda-sententia est illa ipsa, quæ hodiè in Christiano orbe passim obtinuit ac regnat; quod si vim illius ac rem ipsam spectes, NB. reverà negat, Jesum esse Filium DEI. Hæc est doctrina, per quam NB. Satanas attingit scopum suum. Qvis existimaret, hunc ex illorum esse numero, qui nosmet à communione Ecclesiæ & vitæ æternæ-excludere, (ut verbis utar Lubienicæ statim post paulo ante citata sequentibus) non audent!*

§. VI. Facilius profectò talibus erit, hominibus Turcas & Judæos pro Fratribus agnoscere, quam nosmet; quia in summo de SS. Trinitate Articulo, Christianis desertis, in illorum castra se recipiunt. Rectè igitur & Nostri & Calviniani DD. Socinianos Christianorum nomine indignos censent. Videatur ex his præter *Hoornbæek* in *Socin. confut.* fol. 73. seqq, ad quem provocat *B. Schertzer. Coll. Anti-Soc.* p. 998, & *Jurius* in suis scriptis passim; ex illis, *B. Schertzer. Coll. Anti-Soc.* p. 982. *Apolog. Aug. Conf.* p. 50, postquam affirmaverat, nosmet Articulum de SS. Trinitate semper defendisse, constanter, ait, affirmamus, aliter sentientes extrà Ecclesiam Christi & idololatrias esse, & DEum contumeliā afficere. Quid multis? Socinus ipse cum suis *Franciscum Davidis* ejusq; asseclas, qui modo in eo dissentiebant, quod adorationis gloriā Christo, ceu puro homini, non convenire defenderent, (quo de vid. in *Vitâ Socini*) *Semi-Judæos* appellare consuevit. Maximè notabilia hæc de re sunt verba *Socini*, sub finē *Anti-Wujeki*, Tom. II. p. 619: *qui Christum Divinâ ratione non colit (liceat nobis addere: aut tales fovet hypothesen, quibus stantibus Christum jure colere nequit, asserendo nudam ejus humanitatem) is nullo modo Christianus potest dici.* Solent tamen inter Christianos recenseri eo potissimum

respectu, quia ipsi id nominis sibi tribuere amant; utpote quos convenientiæ cum Judæis ac Turcis pudet. Ecce autem, quàm miserè diabolus menti horum seductorum, erepta illis vera vitæ luce, clarâ S. Scripturæ literâ, illuserit. Eò enim devenit Socinus, etsi sibi videretur oculatissimus, ut in idololatriæ crimen cum sectatoribus suis cæcus rueret, asserendo, ceu modo dictum, Christo, quem nudum hominem esse vociferabatur, cultum summo DEO debitum competere. Objecit illud quondam Thorunii *Jona Slichtingio*, Socinianorum t. t. antesignano, haud absque effectu *D. Georg. Calixtus*, prout annotavit tum in *Dissert. de æterni Patris æterni Filii Divinitate*, §. 110. seqq. tum alibi, filius *Georgii Frider. Ulricus*, dicens: summam discursus paterni eo rediisse, quod æstimeretur idololatria cum ex objecto, tum ex intentione colentis. Si igitur aliquis intendat cultu & honore divino afficere aliquem, quem noverit vel apud animum suum persuasus sit, non esse illum verum DEUM, eum extra controversiam esse Idololatram. Regessisse ad hæc *Slichtingium*, tunc demum adorantem fieri idololatram, si DEUS eum, qui adoratur, cultus sibi alias proprii non fecerit participem atque adorare jusserit. Cum verò exceptioni illi occurrisset *Calixtus*, factâ demonstratione, quod talis voluntas nullâ ratione dari possit in DEO, utpote Divinæ justitiæ ac veritati maximè contraria, (quo pertinet *Jes. XLII, 8.*) *Slichtingium* consternatum abrupto colloquio discessisse. Pari modo *Sandius* in *Nucl. Hist. Eccles.* p. 150, Socinianos antropolatriam suam defendendo & contra rationem & contra Scripturam peccare probat, dicens: Primo contra rationem est antropolatria, i. e. summo cultu adorare merum hominem (secundum Socinum) ex solâ animâ & carne, non etiam divinâ naturâ, quæ est verbum, constantem: deinde etiam contra Scripturam est, dicentem: Maledictus, qui confidit in hominem. Si dicit, summum cultum homini donatum à DEO, rursus loquitur & contra rationem & contra scripturam. Contra rationem; quia impossibile est per absolutam DEI potentiam, hominem fieri summum DEUM. Contra scripturam, quia dicit: Gloriam meam alteri non dabo.

§. VII. Non desunt tamen, qui haud territi blasphemis Socinianorum dogmatibus, neque damno ex tolerantia eorum orituro, illos Christi hostes tolerandos, & in eorum quoque doctrinâ salutem inveniri existimant. Damnum illud, de quo diximus, manifestum est, quia suppositâ per religionem socinianam

nam salutē, multi ad eos accessuri sunt, placita rationi blandienti-
tia ut plurimum sequentes. Ex illis, qui defendunt salutem So-
cinianorum, noti sunt *Arminiani*, inter quos *Episcopium* sibi præcipue
reprehendendum sumpsit *Jurius* in *Represent. Socinianismi Epist. VII.*
art. 2. (vid. A. E. L. an. 1691. p. 450.) & *Curcellam B. Möller* in *Disp.*
§. antecedente citatā. Idem *Jurius* mentionem facit tractatus
huc pertinentis, cui titulus: *Commentarius Philosophicus*, ut alios ta-
ceam. Principium horum intempestivè misericordium est, quod
dogmata à Socinianis negata non satis clarè in s. literis
existere dicant. Verùm magna isti asserto inest perversitas, quan-
doquidem ipsi hi homines claritate dictorum Scripturæ semet
motos ad rejiciendam Socini sententiam fatentur, quare quid de
dicto *Johannis Cap. I.* profert *Episcopus*. Deinde & id addunt, quod
in s. literis nunquam dicatur, hos articulos esse creditu necessa-
rios. At non solum in dicto *Job. III, 18.* clarè demonstratur, in-
credulos damnari, quia non credunt in nomen unigeniti filii DEI, sed
etiam res per se clara est ex ante dictis, cum fides Socinianorum
idololatriam involvat, quæ saluti utique maximè adversatur.
Obtendunt denique, in Socinianis tolerandum esse, quod tole-
ratum sit in antiquis. Sed facilè id quoque in fumum abit, quia
veteres, (ut *sect. seq. c. 2.* apparebit) etsi duras interdum adhibeant
phrases, mentem tamen retinuerunt orthodoxā, eamq; aliis locis
satis apertè ostenderunt. Si etiam illud quasi superpondii loco
adjiciunt, magnam ex licentiā credendi ad Rempublicam redun-
dare utilitatem ob hominum affluxum, facilis est responsio, DEI
honorem omnibus mundi bonis esse præferendum, quia ille con-
temptum sui gravissimis vindicare potest poenis. Heterodoxam
istam, de tolerantia Socinianorum & salute per eorum religionem
obtinendā, sententiam, in Angliā dilatare quæsiuit *D. Barry* in tract.
Evangelium nudum, Deitatem Christi & Incarnationem inter qua-
stiones curiosas protervè referente, sed & propterea manu carni-
ficis ibidem combusto; In Galliā, dicente *Jurio*, eadem pestis apud
haud paucos invaluit occasione persecutionis Reformatorum.
Sed à prælaudato Viro & aliis ei rectè obviam itum. Minus illud
mirandum in Belgio, Remonstrantium post superata prima discri-
mina tutā sede. Interim adducit *Jurius* *Decreta synodi Am-
stelodamensis*, ad instantiam 35. Ministrorum Ecclesiæ, qui ex
Galliā

Galliâ in Angliam profugerant, & de suâ gentis ac professionis viris quibusdam, quod erroneas disseminarent tam in Angliâ quam in Belgio sententias, conqvesti erant, facta. Damnatur per ista decreta primo loco hæc propositio: *quod Socinianismus sit Religio tolerabilis, in quâ salvari homines possint.* Quid in Germaniâ tentent hodiè Indifferentistæ, tam notum prohi dolor! est quam quod notissimum. Excitavit tamen clementissimum Numen, & porro excitabit tales in Ecclesiâ suâ vigiles, qui impiis pariter ac pudendis eorum conatibus imperterriti animo obviam ire valent. In nostrâ Academiâ, ut reliqua taceam, magno cum fructu idipsum præstat Consummatissimus Theologus D. D. *J. Fechtius* in Collegio publico Indifferentistis opposito. *Vid. prox. diss. nostra de Scepticismo.*

§. VIII. Ad Socinianos ut revertamur, haud absque animi commotione legi potest, quod *Smalcus* in præfat. scripti contra *B. Frantzius* gloriari audeat: *factum esse fato quodam, ut nemo ferè inventus adhuc fuerit, qui ad illorum aliquem* (loquitur de libris Socinianorum) *directè responderit.* Verum in auras abit vana gloriatio, modo consideretur, multos præstantes viros, ubi non imminabat magnum à blasphemii Sociniani periculum, melius esse judicasse, pessimas opiniones illas silentii peplo involvere, quam refutando nobilitare. Deinde, quod non statim ubique innotuerint Socinianorum scripta, quodque multi, quasi aliud agentes, ad prolata Socinianorum respondere, haud diffitente *Smalcio*, cœperint. Illos qui primo statim tempore obviâ iverunt hostibus adductis, nominat *D. Frantzius* in vindictis adversus *Smalcium* *Disp. I. p. 46.* Hodiè vero, ingente Refutatorum Socinianismi haud vulgarium exstante numero, querela illa non amplius opus est Sociniani. Ex Reformatis *Maresium*, *Hoornbeekium*, *Jurium*, *Claudium*, munere hostes illos domandi cum primis functos esse, ait *P. Chavini* adversarius, *Dn. de Vrignij*, in *Epist. contra Anti-Trinitarios* (cujus mentio fit in *A. E. an. 1694. p. 412*) p. 4, qui etiam non ineleganter dere istâ, N. T. loca huc facientia breviter perlustrando, tractavit. Ex nostris *Thummium* atque *Calovium* commendat ipse paulo antè nominatus *Hoornbeekius* in *Summa Controv. p. 570.* Verum plura contra Socin. scripta videre licet in *Lippenii Bibliothecâ reali*, sub tit. *Sociniani, Photinus & Arriani*, nec non in *Dan. Hartnaccii Bibliothecario p. 303. seqq.* Haud ingratum tamen erit, versus, quibus præcipuos ex Nostri Anti-Sociniani

nianis scriptoribus laudavit celeberrimus Ulmensium Præsul,
quoad aliquam partem apponere. Præfixi autem illi sunt B. D.
Calovii Operibus Anti-Soc. & ita sonant:

Est opus atque labor, quem dum sumere potentes
Verbo, *Stegmannus, Thummus* atque *Gerhard,*
Martini, Hunniades, Meisner, Grauerus, acuto
Pectore pollentes ac ratione, Viri,
Bosfaccus, Tarnov, Feurborn & Franzim; acri
Judicio sive dissoluisse strophas.
Et quem mirata est Ecclesia nostra per orbem,
Schertzerus, cujus nunc cita fata dolet,
Hi, dum pulsarunt divini Numinis hostes,
Præmia Theologo digna tulere choro.
Viribus at cunctis collectis unus in unum
Hostica, *Calovius,* castra repente ruit.
Herculeosque movens in fortia bella lacertos,
Ut jaceat moriens hydra subacta videt.

§. IX. Illud adhuc addendum in præsentī Sectione censui-
mus, quod non commodiori hæreticos indigitatos, quam *Socinia-*
norum nomine, insignire potuerimus. Tametsi enim plurimi So-
cinianorum errores ab antiquis provenerint hæreticis, ambo ta-
men *Socini,* pluribus falsitatibus pro placito suo conjunctis, abomi-
nandæ fidei suæ systema confecerunt. Alias Sociniani à doctri-
nâ suâ nominantur *Unitarii, Monarchici, Christomachi,* quamvis ista
nomina in se, non secus ac *Anti-Trinitariorum* appellatio, latius ex-
tendantur; ut & alii veritatis hostes Socinianis contradistincti, de-
notari per ea queant. Plura nomina vide sis in B. D. *Schertzeri Coll.*
Anti-Soc. p. 15. Ipsorum Socinianorum de suæ sectæ nominibus
mentem ex verbis *Præfat. Bibl. Fratr. Polon. Unitar.* (cujus autor est
And. Wiffowatius, juxta *Sand. Bibl. p. 147.*) cognoscere licet, ubi se non
tam Socinianorum, quam Unitariorum nomen expetere profitentur
sequentibus verbis: *Non subest justa causa, cur ii, qui cum Socino in ple-*
risque consentiunt, ideo Socinianorum nomine notentur. Nam & ante So-
cinum post Apostolos extitisse ejus sententiæ confessores, jam est ex historiarum
ecclesiasticarum testimonio indicatum. In Calvini verò seqvaces ita in-
vehitur: Id sanè mirandum est, etiam eos, qui ipsi, quamvis cum Zwin-
glij & Calvini sententiis non pridem in orbem terrarum prolatis consentientes,
Zwinglianorum & Calvinianorum titulos sibi imponi egrè ferunt, eosque re-
cusant, tamen istis imponere titulum Socinianorum. Isti vero --- non ab-
nuunt, quo minus addiscrimen Trinitariorum appellentur Christiani Unitarii.

C

Verum

Verum postulatum illud iniquum est, quia ipsi Sociniani non solum Nosmet Aug. Conf. Socios, Lutheranos, bonam quidem cum pacem nostram; sed etiam eos, qui Reformati audire gaudent, contra eorum voluntatem *scientes Calvinianorum nomine* appellare consueverunt. Vid. *Wissowat. in narrat. compendiosâ adjunctâ Bibl. Anti-Trin. Sandii p. 212.* Solent hi homines communiter etiam appellari *Neo-Ariani & Neo-Photiniani.* Verum sicut posterius nomen satis conveniens est, ita prius non nisi in generalitate quâdam adhibere licet, cum per idipsum stricto sensu secta Socinianis contradistincta indicetur; quæ de re post. De nominibus *Pinczoviorum & Raccaziensium*, in ipsa quoque tractatione sequenti mentio occurret. Interim, cum hodiè Sociniani sint notiores, ea appellatione interdum Anti-Trinitarii moderni generatim denotari solent.

CAP. II.

Sect. I.

DE SOCINIS.

§. I.

Cum a Socinis, prout audivimus, secta hæc merito denominetur, operæ pretium erit, in hoc Cap. *Sectionem I.* assignare eorum, quæ circa Socinos occurrunt, considerationi; deinde verò Sect. II. de *antecessoribus*, ac denique Sect. III. de *progressu* Sectæ damnabilis aliquid adducere.

§. II. Lælius itaque Socinus, qui *Fausto atque aliis ingredienda, quam postea secuti sunt, via Dux & Auctor exstitit* (ceui loquitur *Eques Polonus, Auctor vite Socini* operibus ejus præmissæ, qui est *Samuel Przicovius*, juxta *Sandii Bibl. Anti-Trin. p. 123.*) *Mariani Junioris*, JCTORum tunc Principis dicti, quemadmodum Familia Socinorum Principatum quendam in studiorum Juridicorum genere per aliquod tempus tenuit, atque *Camilla, Pauli Salvetti*, Nobilis magnaque in autoritate apud Florentinos cum gente suâ viventis viri, natæ filius fuit, Senensis Hetruscus, in lucem editus Anno 1525. A Patre studio dicatus juridico, *humanarum legum scientiam ex ipsis divini Juris fontibus hauriendam sibi putavit*, ceui idem loquitur *Polonus*; optimo sanè instituto, siquidem Spiritum DEI in S. literis loquentē, quam rationem corruptam, in explicandâ Scripturâ S. (quæ nunc potius depravavit,) yavit,)

vavit) audire maluisset. Verum quia non secus ac aranea venenum ex optimis collegit floribus; ea, quæ judicio ipsius perverso adversabantur, temerè rejiciendo, ipsasque scripturas ad instar nasi cerei contra naturam earum flectendo, hæresin confecit pessimam. Audiamus verba Equitis jamjam citati: *Dum* (Lælius) *s. literas impensius evoluit, ait, deprehendit plurima ex iis, quæ vulgò receptæ sunt, Ecclesie dogmatis, divinis testimoniis (juxta mentem ipsius puta detortis) planè adversari.* Si causam quæris, audi ipsa sequentia verba: *idque tanto facilius (hæc de materiâ loquendo, rectius dixisset: unice) quod ex iis pleraque rationi quoque, & quæ nobis ipsa natura in sevit, principiis, (scilicet per abusum rebus supernaturalibus, quæ rationem omnem transcendunt applicatis, cum ratio forum suum rerum nempe naturalium egredi nullo jure debeat) repugnarent.* Non destituit interim eum lingvarum originalium, Hebrææ atq; Græcæ, quin nec aliarum lucem interpreti largientium, cognitio, ut his subsidiis in gloriam DEI uti licuisset. Ingenium quoque ad res pertractandas tantum attulit, ut in admirationem sui doctos facile converterit, interque eos *Philipp. Melancthonem*, quem *communis Germania Præceptoris* titulo decorare consueverunt, ceu ex commendatitiis abeunti datis literis patet; quandoquidem *Philippus* pro eo intercessit apud Imperatorem *Maximilianum II.* & *Poloniæ Regem Sigismundum*, ut Venetiis legati ipsorum personam sustinere posset, ad consequendam ibi paternam hæreditatem, ceu videri potest apud *Johan. Hoornbeek. in summâ Controv. lib. VII. p. 564.* Pari ratione cum *morum integritatis vitæ, innocentia -- exemplar omnibus proponere* audet *Faustus*, in cit. *Fragment. duorum scriptor. p. 782. A;* sicut solenne est Socinianis suorum jactare pietatem, modo illa posset vocari verâ pietas, quæ non ex verâ fide provenit. Ex *Zarnovicii libro contra Socinum* refert *Hoornbeekius*, Lælium hunc præceptorem inter alios habuisse *Bernhardinum Ochinum*, satisfactionis Christi hostem ex Polygamie defensione vulgò notum: verum in *Sandii Bibl. Anti-Trin. p. 3.* dicitur, factum id non bene intellecto *Zarnovicii-loco*, cui de *Fausto Socino* sermo sit; quanquam & eo in passu autorem hunc falli dicat, quia *Faustus* excepto Lælio nullum habuerit in rebus fidei præceptorem. Quidquid interim sit de hoc ultimo, cum haud malè *Hartnæcius* in *Contin. Histor. Eccl. Micraelii p. 960.* veterem illam regulam huc applicet: *quod unius rei possint esse plures causa; ubi*

addo, quod ipse Socinus in *Epist. ad Mari. Vadovitam* T. I. p. 475 ad Ochini *Dialogos* provocet, dicens: in illa est *sententia* (mea de Satisfactionis negatione) aperte expressa: illud certum est, inter amicos *Laelii Ochinum* recenseri à Polono, & inter socios ejus ab *Andr. Wiffowatio* in narratione compendiosa junctâ *Bibl. Anti-Tr. Sandii* p. 210. Quod verò ex venenato fonte explicatio s. literarum à *Laelio Socino*, ceu novaturiente falcemque in alienam à studiis Juridicis messem tumide, licet timide, immittente, allata, profecta fuerit, patet ex *Beza Epist. 81.*, ubi ait: *favit* (*Laelius*) *Serveti blasphemiam*, incredibiliter ad contradicendum & varios neccendos nodos comparatus: nec nisi post mortem cognitus -- quâ de causâ mihi quoque non vulgaris amicitia intercesserat. Sed homo erat plenus diversarum haresium, quas non nisi disputandi causâ proponebat. Quod faverit *Serveto*, qui *Medicus* erat, haustis in *Africa* a Muhammedanis erroribus *Anti-trinitariis Theologiam* reformare ausus, vid. *Scherzer. Coll. Antisoc.* p. 9; non capiendum de singulari *sententiâ* ejus expositione: unde in *Bibl. Anti-Tr. Sandii* p. 9. dicitur, quod is a cæterorum *Unitariorum*, qui nunc *Socinianorum* nomine plerumque audiunt, doctrina discrepaverit, addito p. 11. sequenti de scriptis *Serveti* judicio: haud diffiteor nonnulla talia in eis contineri, quæ à contradictionis implicatione vix excusari queant: verum generalius respectu negatæ SS. *Trinit.* & *Deitatis Christi*, quam blasphemiam evomuit *Servetus* tum ore tenus per multos annos, tum scriptis, ut libris VII. de erroribus *Trinit.*, de restitutione *Christianismi* &c., rogo tandè *Calvini* instinctu addictus an. 1553. vid. *ibid.* p. 6, quâ rectissimè procedit assertum. Quod spectat ad nodos, quibus neccendis maximè idoneus fuisse dicitur, tenendum: *Laelium* hunc an. 1547, patriâ periculi metu relictâ, peregrinationem instituisse. Nimirum referente *Andr. Wiffowatio* apud *Sand.* p. 210, socii fere 40 institutis an. 1546. de Religione Colloquiis atque Collegiis, in Italia ditone *Venetâ* apud *Vincentiam*, *sententiam* de *Trinitate Personarum* in unâ essentiâ *Divinâ* impugnare cœperunt. E quibus cum duo, *Julius Trevisanus* & *Francisc. de Ruego capri*, *Venetis* essent suffocati, cæteri *Italiam* reliquerunt, partim in *Turciam* semet conferentes, partim in *Helvetiam*, quorum præcipuus fuit *Laelius Socinus Senensis*. Ex reliquis *Socini* sociis nominantur ibidem *Alciatus*, *Paruta*, *Ochinus*. Ille igitur *Galliam*, *Brittanniam*, *Belgium*, *Germaniam Universam* atque *Poloniam* peragravit, & *Tiguri* in terrâ *Helvetiorum* habitationem instituit, quâ occasione

catione celeberrimis ejus temporis Doctoribus, quibuscum amicitiam contraxit, errores suos, non quidem pro suâ eisdem sententiâ venditando, verum per modum tantum dubiorum theologorum, quorum expeteret solutionem, proposuit. Vid. *Vita ejus & fragmenta* 2. *Scriptorum Fausti Socini Opp. T. I p. 702. b.* Utut verò à paucis ante mortem cognitus fuerit, Calvinus tamen subodorari, quid in animo haberet, cœpit. In *Epistolâ* enim ab *Autore vite* in medium productâ, ad pessima illa, quæ proposuerat Lælius, sequentia regerit, quæ utinam in materiâ de Prædestinatione aliisve ipse observasset! Ita enim Calvinus: *Non est, ait, quod expectes, dum ad illa, quæ objicis, questionum portenta respondeam. Si tibi per aëreas illas speculationes volitare libet, sine me, quæso, humilem Christi discipulum ea meditari, quæ ad fidei meæ edificationem faciunt. Ac ego quidem silentio meo id quod cupio consequar, ne tu mihi posthac sis molestus. Liberale verò ingenium, quod tibi Dominus contulit, non modo in rebus nihili frustrâ occupari, sed exitiis figmentis corrumpi vehementer dolet. Annectit immediatè sequentia: Quod pridem testatus sum, seriò iterum maneo, nisi hunc quærendi pruritum maturè corrigas, metuendum esse, ne tibi gravia tormenta accersas. Ego si indulgentiæ specie vitium, quod maxime noxium esse judico, alerem, in te essem perfidus & crudelis. Quæ minæ, quorsum tendere debuerint, ex *Serveti* supplicio, anno interjecto secuto, clarum esse existimat idem *vite* Autor, addens: quod *Lælii* incredibilia modestia iracundiam represserit eorum, qui sententiam ejus odio habebant, ut odisse hominem non sustinerent. Imo eò in adulatione suâ progreditur nimio viri istius amore captus *Polonus*, ut consilium ejus approbet de premendâ silentio verâ animi sui sententiâ, atque in sequentia erumpat verba: sciant, quos nimia veri libertas in pericula sæpè intempestiva precipitat, ipsam illam, quam propugnant veritatem, in circumspectâ prudentiæ lenitate, quam in effreni zelo plus habere præsidii. — Lælius certè inter capitales sententiæ suæ hostes mansit integer. Verum nullius pretii est ista silentii planè intempestivi excusatio, nedum effusa laus; cum hominem, iplis cum Theologis colloquia habentem, non teneri veritatē apertè profiteri eamq; etiam post habitis omnibus periculis constanter, quantum in eo est, tueri, ille demum asserere queat, qui flocci pendet Christi effatum, Marc. VIII, 38 prolatum: quemcunque puduerit mei ac meorum sermonum in natione hæc adulterâ & peccatrice, pudebit illius & Filium hominis.*



nis. Non laudat sanè ingens alias *Læli* istius deprædicator *Faus-
tus Socinus* Patruī sui hoc in passu consilium, sicut patet ex *Frag-
ment. p. 782. Institutum* suum, inquit, amicis non usque adeò pro-
bati sentiebat, (*Lælius*) quibus dum obsequi recusat, non sine *DEI*
consilio vir summus immaturâ morte sublatus, quod mox patefieri cepit,
cum statim ferè post mortem ejus eorum, quæ ipse palam docere non audebat,
pars aliqua & literis consignari & passim divulgari est cepta, id quod eo viven-
te nunquam fortasse contigisset, amicis ex iis quæ ipse scripserat, quod apud
eum laterent, non adhuc planè edocti, & adversus Præceptoris voluntatem ali-
quid eorum quæ ab ipso didicerant, in vulgus prodere minimè audentibus. Li-
teras ejus, in quibus heterodoxam mentem tegere, etiam symb.
Nic. approbando, quærit, videre licet apud *Hottinger H.E. sec. XVI.
p. 41. & G. Arnold. Kircken und Reher Historie P. II. sec. XVI. c. 33. §. 14.*
Neque enim apud omnes *Lælium* mentem suam occultasse exi-
stimandum est. Nam teste *Polono* adducto, quibus visum est, senten-
tiam suam indicavit, Italīs præcipuè suis, qui Patriâ relictâ per Ger-
maniam & Poloniam dispersi erant; quemadmodum & in Polo-
niâ *Franc. Lismanino* abjiciendæ vestis monasticæ svasor fuisse asseri-
tur & fratres in suam pertraxisse opinionem. Interim ann. 1559
circiter ob suspicionem hæreseos frater *Lælii Cornelius* captus fuit.
Celsus verò, *Camillus*, & *Fauſtus* fratris *Alexandri* demortui filius unâ
cum aliis familiaribus eorum perculsi sunt aut fugati: ex quibus
Fauſtus per aliquod tempus *Lugduni* in Galliâ vixit, *Lælio Ti-
guri* an. 1661. ætatis verò 37. demortuo. Scripta ejus quænam sint,
partim edita, partim manuscripta, videri potest in *Gethofr. Voigtii
Catalogo libr. Socinianorum & Arianorum novellorum*, qui reperitur ante
ejus tractatum inscriptum: *Imago SS. Trinitatis*, & plenius in
Sandii Bibl. Anti-Trin. p. 20. seqq. (edita post mortem ejus an. 1684,
quæ longè imperfectior à *Sev. Walch. Sluitero* evulgata est in *propylæo
Hist. Eccl. p. 273. seq. A. 1696*, prout sc. ab ipso *Sandio* Autori quon-
dam communicata in msc. fuit) ubi indicatur, quod illa explica-
tio *Initii Evangelii Johannis*, quæ à *Voigtio*, ut & *Zanchio*, *Bezâ*, mul-
tisque aliis *Lælio* adscribitur, à *Fauſto Socino*, quancquam à *voigtio*,
conſignata fuerit.

§. III. Cognatus *Lælii*, *Fauſtus Socinus* anno 1539, & sic 14. circiter
annis post *Lælium*, Senis in lucem editus est, Patre *Alexandro Socino*,
ſubſtitutum Principe, Przycovio teste, vocato, Matre *Agneta*, Bur-
geſi

gesti Petruccii, principatum quondam senensem tenentis mox tamē indepulsi, filiā. Non permittit instituti ratio maiores, cognatos atque affines Socinorum recensere, quod abunde praestitum reperiet, cui vel vitam Socini à Przypcovio, vel vitam Andr. Wissowatii, (Socini ex filiā nepotis) ab anonymo consignatam legere volupè erit. Ultimus autem ex hisce autoribus adeò sibi à laudandi cestro temperare non potuit, ut Paparum (quos alias ceu Anti-Christum maximè abominantur Sociniani) illorum, qui cognatione Socinum attingunt, nempe Aeneas Sylvii sive Pii II, Pii III & Pauli V maximā cum laude mentionem faciat. De primo verba leguntur sequentia: *Aeneas Sylvius, seculi ornamentum, qui ad sublimem Pontificis Maximi dignitatem evectus, dignum meritis premium reportavit, assumpto sibi convenienti Pii II. nomine; ubi nobis in mentem venit, benè Papam inter laudatos Socini cognatos legi, non obstante, quod alias apud ipsum Socinum malè audiat, cum idem seductor, etsi in doctrinam Papæ ceu anti-christianam magnopere invehatur, reverà tamen illum cognatione spirituali, sive dogmatum & fidei, variis modis attingat, quā de re videri potest B. Calov. Socinif. profig. sect. I. m. 2. quasi. 3. p. 41, & in der völligen Entdeckung p. 17. P. I. c. 8.* Sed redeamus ad vitam Socini. Postquam ille juventutis suæ annos ita bene collocaverat, ut ipsemet, levissimè & omni preceptore deficiente bonarum artium studiis sese operam impendisse, Philosophiam non didicisse, nec scholasticam Theologiam unquam attigisse, & ipsius logica artis nil nisi rudimenta quædam, idque valde serò degustasse, fateatur; unde eum Parentibus orbatum fuisse existimat Przypcovius, atque sic ad annum usque 23. ætatem suam exegerat, auditā Lælii morte Lugduno Tigurum advenit, libros imprimis Patruī sui accepturus, à quo pessima jam ante hauserat principia, recordatus procul dubio effati Lælii, quando dixerat inter amicos: tradita illa plenius ac feliciter à Fausto orbi prodenda esse. Reversus tamen nihilominus in Italiam, duodecim adhuc annos in aulā Florentinā favore Ducis Francisci fuit retentus, quā de causa perit ipse tum, ut ipse conquestus est, *florētissima pars avi.* Anno verò 1574. ætatis 35. omnibus aulæ delitiis relictis, Basileam se contulit, triennium eudendo Theologiæ novæ systemati invigilavit, atque ad Scripturæ S. perversam pro dolor! intelligentiam Lælii Patruī scriptis & pluribus ab eo sparsim relictis notis, multum adjutus, quæ verba sunt Przypcovii, sententiam suam omni nisu propagare quæsit.

§. IV.

§.IV. Audivimus, qualis fuerit, cum ad reformandum accederet Socinus; audiamus quoque, quale de hisce rebus iudiciū afferat effusus in laudes ejus vitæ scriptor. Ille instituta circa finem vitæ Socini inter eum atque Lutherum, deinde inter eundem atque Ignatium Lojolam comparatione, hujus facta illorum gestis longe præponit. Sic enim loquitur: *Lutheri & aliorum animi magnitudo plausu mox & studiis Principum ac populorum excepta est. Et paulo post: Ignatius quoque (Lojola) majorum nostrorum memoriâ, patriam, agnatos, opes, honores & alias illecebras contempserat, multos quoque labores, multa discrimina ultrâ subierat, zelum gloria DEI & fidei militiam professus; Non despicio animi magnitudinem, quæ in eo aut nonnullis similibus apparuit. Neque enim prorsus molli itinere ad gloriam contenderunt. Sed nondum hic video illud magis arduum, quod quarimus, nobilioris fidei specimen. Cum autem perciperet, autodidactos merito novitatis suspectos esse, ad illum scopulum declinandum, forsitan, inquit, expediebat, natum ut de dogmatibus orbis cognosceret ingenium, nulla delibari præjudiciis, nequam errorum fibrâ admitteret. Imo frustraneam existimat esse ipsam Socini institutam de temporis jacturâ querelam, dicens: si modo perisse censenda est (pars ævi) - in qua ille juvenilis æstus deserbuit, qui plerumque magna in magnos lapsus præcipitat ingenia. Verum quomodo a præjudiciis liber vocari potest, quem ingenii præstantiæ confisum, jactabundi Patruī vox ad gloriam ab ipso prædictam consequendam exstimulavit, quem præjudicium autoritatis Patruī, & implantatum ab eo rationis humanæ præclaris Scripturæ S. assertis æstimium maximè dementavit? Sic enim de Lelio suo Faustus hic in *Fragm. p. 782*, multa mihi de eo dicenda forent, ait, ut unicum fortassis hæc ætate nostrâ-maximè (i. e. literarum peritiæ, divinorumque oraculorum intelligentiæ exemplar omnibus proponerem. Pertinent huc ea quoque verba, quorum in *Præf. nostrâ* mentionem fecimus. Neque satis exprimi potest, quantâ cum audaciâ hic Socinus Patruī vestigia sequi, & adhuc juvenis, non obstante sufficientis cognitionis ac studii defectu, totum orbem Christianum plurimorum errorum accusare gavisus fuerit. Audire hæc de re placet acuta B. Carolii verba germanica, quando in *der Entdeckung P. I. c. 2. quest. 2.* inter alia ait: *iewol er schon im 22. Jahr seines Alters (ad summum 23. Tribuit enim sibi Socinus explicationem illam Job. in Epist. I. ad Andr. Dudibium, quæ reperitur Tom. I. Oper. p. 497. A. scripta an. 1580, dicitque, quod jam ante 18. annos prodierit. Jam si repetatur,**

tur, natum esse Socinum 1539, facilis est supputatio) da er noch den Rechten obgelegen / die schändliche Verfehrung des Evangelii Johannis (doch ohne Meldung seines Namens) durch öffentlichen Druck hervorgegeben. Von welcher er selbst bekennet / daß nicht allein zu seiner Zeit / sondern von viel hundert Jahren her dergleichen ganz unerhöret sey. Dazumahl hat dieser verdorbene Jurist schon dürfen in die Welt schreiben: daß viele Dinge in Glaubens-Sachen wären / darin die ganze Christliche Kirche verblendet. Habentur hæc ultimo citata Socini verba in *præf. Explicat. memoratæ Tom. I. Oper. p. 75*, ac ita sonant: *Multa profectò sunt, in quibus adhuc Christianus orbis cecutit, & plura fortasse, quam quis vel credere vel etiam cogitare possit. Nemo sic mirari potest, proclivem fuisse Faustum ad omnia religionis capita pro placito suo mutanda, quemadmodum etiam non substitit in uno vel altero Ecclesiæ dogmate pervertendo; sed ex suo ingenio per totum Theologiæ complexum nova invexit placita, à prioribus quoque Anti-Trinitariis maximè recedens. Alia B. Luthero mens erat, qui rationem suam libentissimè captivabat sub obsequium fidei, Anti-Christum non tali animi magnitudine aggressus, qualem in ipso etiam Lojola, acerrimo Anti-Christi, juxta proprium Socini judicium, defensore, æstimat Przypcovius atque laudat. Illa enim ad religionis negotium nihil pertinet, neque ex spiritu DEI provenit sed mundi; indeque Joh. Hoornbeekio summa Contr. p. 567. valde arridet instituta à Polono illo Lojolam inter atque Socinum comparatio, quando sententiam suam ita exprimit: non inepta comparatio, uterque novæ sectæ autor fuit æque execranda, in cujus gratiam pari studio visi sunt patriam, opes (si quas fortè habuerunt) & secularis vitæ nobilitatem deseruisse, eundem gloriæ DEI zelum & fidei militiam professi. Sed revera, uti Autor hic ipse prodit, animi magnitudo & gloriæ cupido eos egit in novas erigendas religiones; in Socino quidem eò major, quo alterius etiam fidei typum, vel nobilioris fidei specimen, quemadmodum Autor loquitur, excogitavit. Videlicet utrique par debetur ab omnibus & gloriæ merces. E contrario in B. Luthero inculpabilis erat ad solam divinæ omnipotentiae, justitiæ atque gratiæ laudem tendens veritatis amor, solidaque ex DEI virtute profecta constantia, quâ impellebatur ad purum ac clarum Verbum DEI, etiam cum vitæ suæ ac famæ dispendio defendendum, etiamsi à toto mundo desereretur, rationemque captivare teneretur; qualem*

D

quid



quid neque de *Lojola* Papæ adulate, neque de *Socino* rationi suæ blandiente, ullo jure dici potest. Deinde non frustranea est, ceu quidem *Præpocius* censet, *Socini* de facto temporis nobilissimi dispendio querela; quoniam, si miserrimus mortalium institutione interea usus esset virorum verbum divinum absque rationis suæ dictamine sequentium, non potuisset in tot tantasque semet pariter ac affeclas præcipitare errorum syrtes. Imo, si omnis bona institutio retrahere hominem potest ab amore vitiorum, ad quæ alias nativâ fertur inclinatione, quemadmodum ex *Socratis* confessione constat; quidni posset efficacissima verbi divini virtus, in genuinâ ejus consideratione sese exserens? Cæterum id certum est, talem naturæ ac exercitationis beneficio fuisse *Socinum*, ut vix potuisset alius ad invadendam *Christi Ecclesiam* aptior accedere: quâ in re consentit nobiscum *Job. Eduardus* in *Præserv. contra Socinian.* (vid. A. E. an. 1694. p. 473.) dicens: *Sobrium illum ad everterendam religionem accessisse.* Atque hoc etiam in passu non malè expressit antecessorem suum *Photinum*, de quo vid. *Vincent. Lirinens* in *Commonitorio* p. 331, & celeberrim⁹ *Dn. D. Itegius* in *append. ad tract. de Hæresiarchis* p. 437. Ingenium enim ejus fuit præstantissimum. Judicium ex malæ causæ subtili defensione sufficienter patet. Eruuditio ex diligentia, etsi sero adhibitâ, accessit haud vulgaris. Memoria adeo gavisus est egregia, ut quondâ 50 argumenta simul proposita iterum recitare valuerit. Ad iram quidem naturâ fuit propensus; verum eandem, prout utilitas exigere videbatur, unâ cum aliis affectib⁹ mirâ arte domare didicit. In cibo ac potu capiendō, reliquisq; voluptatibus fruendis vixit moderatus. Non defuit summa in ferendis adversis ut & statu paupere patientia, magna cum constantiâ ad propositum obtinendum & adhibitâ cautelâ conjuncta; quin & prospera ut plurimum valetudo, quâ de re conferri potest *vita* ejus scriptor.

§. V. Dum propagare errores suos fervidè conatus est *Socinus*, (licet ille, ut hæresiarchæ titulum commodius declinaret, in *epist. ad Mart. Padovitam Op. T. I. p. 475, semet alios religionis docendâ provinciam nunquam suscepisse*, impudenter dicat; quasi qui tanta volumina scribit, nihil docere velit!) Disputationem de *Jesu Christo Servatore*, ex throno scilicet suo, quantum in ipso erat, detrudendo, cum amicis & inimicis ore habuit, nec minus scripto adversus *Jacob. Cove-*

1473

tum, Parisiens. verbi inter Reformatos ministrum, composuit. Contra Franciscum Puccium quoque, de statu primi hominis ante lapsum, disputationem scripto habuit. Notus suis artibus redditus à Georgio Blandrat à Archiatro, cuius tunc in illis Ecclesiis & apud rerum potentes Principes Batchoreos magna erat autoritas, in Transylvaniam evocatus est, ad sententiam Francisci Davidis, ibi locorum inter Unitarios Superintendentis, qui Jesum tanquam nudum hominem adorandum esse negabat, refutandam. Ille igitur, instituto Claudiopoli colloquio, opus aggressus est, hoc eventu, ut Francisc. Davidis, cum à tam turpi & pernicioso errore, ceu vocatur à Przypcovio, (licet ille utique ex Socini de merâ Christi humanitate hypothese per se ac necessario fluat,) retrahi non posset, verum & pro suggestu eundem proponeret, carceri mox Principis Transylvaniæ jussu sit mancipatus, in eodemque animam efflaverit. Quod longe majori odio Davidis istius hypothese, ceu semi-judaicam, quam nostram de Christo sententiam, prosequantur Sociniani, satis patet. Vid. etiam Wiffowacius apud Sandium Bibl. Anti-Trin. p. 213. Magnam interim istam obrem eorum, qui Davidis partes tenebant, Socinus expertus est invidiam. Excusare quidem Socinum a suspitione culpæ incarcerationis Francisci Davidis tentat Przypcovius sequentibus verbis: quasi Magistratus ille ita fuerit causa Socini adductus, ut ipsius sive cujusquam ex eodem hominum genere arbitrio stringeret arma sue potestatis: verum vix assensum ab amicis Davidis obtinere poterit, quia paulò ante dixerat: Blandratæ, qui evocaverat Socinum, magnam apud Principes fuisse auctoritatem; id quod ipse Socinus claris verbis indicat, in Epist. Dedicat. Disputationis cum Fr. Davidis Bibl. Unit. Tom. II, p. 711. dicens: quem plurimum apud Principem posse omnes norant. Neque juvat causam illam, quod addit Przypcovius: Si quis forte à Socini causâ non alienus -- autor fuit Principi acerbioris in Franciscum consilii, ejus certè culpam Socinus prestare non debuit. Nam utique Socinus, si non obstitit consiliis istis dissuadendo, causa sortis adversæ Francisci fuit moralis. Disputatio Socini cum Francisco habita, licet eo superstite conscripta, 15. demum post annos vix in lucem prodire potuit, dicente Przypcovio, quæ quidem res ansam præbet sinistra quædam suspicandi. Non una tamen hæc fuit, quæ Socino cum iis, quorum audiebat frater, de adoratione Christi intercessit controversia. Job. Niemojevius (qui a Sandio Niemojovius dicitur) enim in Epist. ad eum, quæ reperitur inter opera Soc. Bibl. Unitar. Tom.



L. p. 398, Socinum ita alloquitur: *Videris mihi paucis verbis optimam sententiam-- quasi in dubium revocasse-- quæris quid sit, quod tantum malum secum importare possit? breviter respondeo: Verba illa, quæ sæpius addis: Christum Dominum invocare possumus, sed non debemus, sive non tenemur &c., ruinam negotio causæq; tuæ minantur.* Ad quod respondens Socinus p. 401. B, distinctionem facit inter adorationem & invocationem inter alia sequentibus verbis: *Adorat is, qui corpus aut animum alicui reverenter inclinatur--etiamsi nihil ab eo petat; inuocat autem is, qui in necessitate constitutus--confidenter alienam opem & benignitatem implorat, hisque prolati, adorationem concedit necessariam esse, invocationem non item: cum etiam à DEO Patre bona desiderata obtinere queamus.* Verum tota res innititur falsæ hypothese de negatâ DEitate & Satisfactione Christi. Et quis alius est intercessor apud Patrem, nisi Iesus Christus? qui est & propitiatio pro peccatis nostris, æq; ut pro peccatis totius mundi, 1. Job. II, 1. 2. Afferere itaq; non necesse esse talem invocare, est cum ratione insanire. Ipse Stichtingius Com. in Epist. ad Rom. cap. X, v. 13, hic locus, inquit, aperte docet, non minus necessarium esse ad salutem consequendam, ut Christum invocemus, quam ut in ipsum credamus. Si autem hic homo est DEUS personaliter, ut alibi probatur, quis non eodem modo necesse esse dicat invocare Filium, ac Patrem?

§. VI. Pertæsus invidiæ Socinus in Transylvania contractæ, jam quadragenarius Poloniam petiit, ubi Ecclesiæ polonicæ, quæ solum Patrem Domini Jesu summum Dominum agnoscunt, publicè adjungi ambivit; sed cum dissensum in quibusdam dogmatibus; (qualia à Wissowatio in narrat. comp. apud Sandium p. 214, postquam dixisset, accidisse illa in Synodo Racoviensi an 1580, nominantur sequentia: *De satisfactione Christi, de justificatione sine omnibus operibus, de prædestinatione ac sermo arbitrio, & de Baptismo aquæ*) non premeret, satis acerbe atq; diu repulsam passus est, dicente Przypcovio, nec, ceu addit Wissowatius, ad S. Synaxin admissus. Ignominia tamen repulsæ minimè accensus Socinus, adversarios eorum, à quibus non erat admissus, suo ingenio impugnandos sumpsit. Primum contra Andr. Volanum, Calvini asseclam, de Christo & satisfactione scripsit. Mox contra Jac. Paleologum, Davidis fautorem, sub titulo: *Defensionis sententiæ de Magistratu pro Racoviensibus*, calumum strinxit. Ad Collegii quoq; Polnaniensis Theses Trinitatis SS. hostibus oppositas respondit. Tum accu-

accusatus est apud *Stephanum* Poloniae Regem, ac si liber *Palaeologus* oppositus seditiosa contineret; atque exinde *Cracoviâ*, ubi per quatuor ferè substitit annos, ceu non satis tuta, relictâ, *Paulicovium* petiit, locum *Cracoviâ* propinquum, ibique per triennium commoratus est, ductâ etiam *Christ. Morstinii* Nobilis, loci illius Domini, Filiâ *Elisabethâ*. De libro contra *Palaeologum Przipovius* quidem asserit, quod sola ejus inspectio pro Socino loquatur; verum ipse Socinus tamen in *Praefat. Operis sui*, primum celato nomine editi, *Palaeologum* ob nominatos, contra quos scripserat, *Racovienses*, increpat his, inter alia verbis additis: *Non ignoras, quam necesse sit, ut ipsi Reges, in quorum manu vitæ nec usq; nostræ imperium DEUS posuisse dici potest, illi sententia sint infensi.* Conscriptis interea tum aliis tum præcipuè libro contra *Eutropium*, anno 1587. & filiam *Agnetem* vidit, & amisit uxorem; gravi inde morbo infecuto, eademque ferè tempestate fructu bonorum suorum ex Italiâ, quem quotannis adhuc ex singulari *Francisci Magni Ducis Hetruriae* gratiâ ceperat, illo demortuo privatus est. An. 1588. ad *Synodum Brestensem*, (quod oppidum est in *Lithuania* finibus) se contulit, ac majori quam antea, conatu & fructu suas opiniones, de quibus ante dictum, contra alios Unitarios defendit. Maximum ipsi in vincendis reliquis auxiliû præstitit *Petr. Stoinius*, eodem anno cœtui Unitariorum *Luciaviciano*, ceu Ecclesiæ minister, præfectus, quia is ad populum facundiâ suâ movendum erat aptissimus. Præter *Stoinium* & alios ex præcipuis in suam sententiam pertraxerat Socinus, inter quos excellunt tres fratres *Lubieniecii*, *Andreas*, *Stanislaus*, *Christophorus*, secutis pluribus, ex quibus *Nicolaum Zitinium* in vicem exempli maximè memorabilis producit *Przipovius*, quia is in *synodo Lublinensi* an. 1589, cum sententiam Socini de *Cap. VII. Romanor.* (quod ibi intelligatur homo divinæ gratiæ expers, vid. *Bibl. Unitar. Tom. I. p. 89*; licet illud utique contra clara verba vers. 14, 15, 22, 25. pugnet) refutandam suscepisset, durante disputatione mentem mutaverit, Socinumque paulo ante adversarium suum defenderit, attonitis reliquis, causaque Socini casu illo haud parum promota. Præcipui, qui adhuc Socino adversabantur, erant *Viri maxima autoritatis*, *Niemejevius* & *Czechovicus*, dicente eodem *Equite Polono*, quamvis addat paulo post: quod tantum opinionibus, non etiam odiis, homines illi pugnaverint, & cum alii aliorum sententias detestarentur, sese tamen mutuo minimè damnarent. Specimen

D 3

contro-



controverſiæ ejus cum Niemojevio de Invocatione paulo antè exhibui-
mus, & aliud de uſu & ſine cænæ Domini videri poteſt in Socini reſpon-
ſione ad Epist. ejus Bibl. frat. Polon. Tom. I. p. 756, ubi inter alia ſeqven-
tia leguntur inſerta Niemojevii verba: Fateor, meam ſententiam tantum
diſtare ab opinione D. Socini, quantum cælum à terrâ diſtat. Et paulò poſt:
Quod ad cænâ Domini attinet, id cogor dicere, me neminem hætenus legis-
ſe, qui adeò contemptim hæc de re ſentiat. Porro quoad materiam de
morte Chriſti, in Epist. jam ante alleg. ad Socinum, quæ exhibetur l. c.
p. 397, ita loquitur Niemojevius: Non ſine mærore, (ne quid gravius ad-
dam) incidi inter legendum in quoddam paradoxon Scripturæ S. contrarium
ac planè horrendum, dum Chriſtum in morte ſeu in cruce ſacrificium obtuliſſe
pernegat -- pronunciâs: Dominum JESUM Chriſtum non in arâ crucis, ſed in
ipſo cælo ſacrificium obtuliſſe. Verum teſte Przypcovio, Niemojevius tan-
dem plerisq; in rebus Socino aſſenſus, ſemet erraſſe confeſſus eſt; quâ de re
audiri poteſt ipſe Socinus Bibl. Unit. p. 115, ubi ſermo eſt de Cap. VII. Ro-
manor; & Bibl. Anti-Tr. Sandii p. 49, ubi recenſetur, quod primo Chri-
ſti ante nativitatem à Maria exiſtentiam defenderit, ſed poſteâ So-
cini partes ſumſerit. Solus tamen Czechovicus, quamvis & ille, relicta
de præexiſtentiâ Chriſti ſententiâ, hoc in paſſu Socini mentem ap-
probaverit, durus permanſit. Et licet potiori parte Socino jam fa-
vente ad cætera egrè quidem, ſed tamen utcunq; conniveret, paulò poſt
in ſententiâ de Baptiſmo ciere turbas, dicente Polono, cœpit. Nonnulla
eâ de re videri poſſunt Bibl. Frat. Pol. Unit. Tom. I. p. 748, ubi rectè Cze-
chovicus Baptiſmum fidei ſigillum vocat contra Socinum. Turbæ ta-
men illæ citò ex voto Socini ſopita, poſteâ ſuapte ſponte evanuerunt. Socinus
in peculiari Diſput. de Baptiſmo aquæ, quæ reperitur l. c. p. 709. ſeq.,
ſententiam ſuam damnabilem ita exponit: omnia Evangelista-
rum & Apoſtolorum ſcripta diligentiffimè perquirens, nuſquam nec apertis
verbis baptiſmum aquæ externum omnibus in perpetuum, qui Chriſtiani eſſe ve-
lint, per æque præceptum eſſe invenio, nec aliquid dictum, ex quo eam ſenten-
tiam elici omnino debere aut poſſe, appareat, quaſi nuda hæc Socini ἀεὶ ψία
rem claram dubiam redderet. Objectiones Czechovicii contrâ ex-
plicationem Cap. I. Johann. à Socino factam ad hæc verba: erat apud
DEUM, (nempè λόγος) quaſi idem notarent, ac: erat ſoli DEO
notus; quæ utiq; ſi ulla alia, violentiſſima eſt clarorum verborum
detorſio, legi poſſunt Bibl. Unit. p. 85. b. Ita Socinus repulſam ini-
tio paſſus, cunctando reſtituit rem, ut inter illos, qui eum recipere
dedignati

dedignati erant, vivus adhuc obtineret principatum, sententiis
ejus ubique approbatis. Cracoviæ interim, ubi nunc iterum de-
gebat, variis sæpè contumeliis affectus fuit, sed præcipuè post li-
brum *de Servatore*, procurante Eliâ Arcissevio ipsoque consentiente,
typis exscriptum, ita ut tandem an. 1598, à furente plebe ex do-
mo suâ per plateas raptus, vix vivus, opem ferente Mart. Vadovitâ
Professore Cracoviensi, evaserit, direptâ suppellectile atque scriptis.
Epistola Socini ad Vadovitam de illo casu legi potest in *Bibl. Unitar.*
Tom. I. p. 475. Quamobrem *Luclavicias* metu ulterioris periculi
migravit 9. milliaribus à Cracoviâ, ubi etiam anno atatis LXV.
est extinctus. *Ultima*, teste Polono, morientis vox excepta, *se non ma-*
gis evi quam invidia & molestiarum saturum, lætâ atque intrepidâ spe propen-
dere in supremum illum fati sui articulum, qui missionem ab æumnis simul &
laborum stipendium ostenderet. Digna sanè tali homine clausula, qvî
Justificationem in obedientiâ nostrâ mandatis divinis præstitâ,
collocare ausus est, qvem articulum, tanquam principalissimum
Socinianismi, recenset *Val. Alberti Interesse Rel. Proteor.* §.7. Paulus
in contrarium *Rom. VIII, 13*, reor, inquit, *minimè pares esse præsentis tem-*
poris perpeffiones, gloria in nobis revelande.

§. VII. Quid gesserit quidq; præstiterit Socinus, unde patet,
qualis sit doctrina ab eo tradita, paucis relaturus vitæ ejus scri-
ptor, primò provocat ad *Scripturæ* in tot locis expositionem, dein-
de ad sententiæ de Deo atq; Christi personâ, jam in Poloniâ vigentis, de-
fensionem. Mox, *Nemo*, pergit, *acrius Judaizantes repressit: idem Chi-*
liastarum opinionem: idem multa præterea alia sanatica somnia explofit.
Tunc porro ad dogmata Socini, ab aliis ejus temporis AntiTrinita-
riis diversa progressus, extirpasse eum gloriatur errores, qvî à Re-
formatis Ecclesiis hausti magno adhuc numero in eâ Ecclesiâ regnabant, nem-
pe: de Justificatione, de placanda Justitiâ Dei, de Prædestinatione, de servi-
tute arbitrii, de peccato Originis, de Cænâ quoq; Domini, de Baptismo, & alia
snistre intellecta dogmata. Ultimo loco & alia annectit, dicens: *Super-*
stitiones plurimas circa res indifferentes exterminavit. Ex hoc genere fuit ni-
mia vilis vestitus ambitio, deinde capessendi Magistratus, aut etiam citrà vin-
dictâ studium sui juris persequendi religio. Operum, quæ scripsit Socinus, hic
annecteremus catalogum, nisi eundem ex Sandii Bibl. Anti-Trin.
facili negotio petere liceret.

Sect.



De Antecessoribus Socini.

§. I. Sicut facile patet ex ante allatis, non posse aliquem nominari Socinorum vel antecessorem vel præceptorem, qui omnes eorum abominandas sententias defenderit; ita tamen certum est, quoad hypotheses pestiferas de *hominibus*, *Pelagium* illis prævisse, quoad eas vero de satisfactione, *P. Abelardum* Sec. XII. stellam errantem, vid. *Bernh. Ep. ad Innoc.*, *Abel.* ipsum *Comm. in Rom. III.*, 14, & *Gvil. Nichols in hist. Soc.* Neque etiam negari potest, quoad dogmata, ad quæ communiter h. l. solet respici, de SS. Trinitate & Deitate Christi, Socinos *Antitrinitarios* vetustiores fuisse secutos. Conf. *Spanhem. elench. controu. p. 144*, dicens: quod Socinianismus a *triplici hæreticorum genere haustus sit, Anti-Trinitariis, Pelagianis & Abelardianis*. De primo autem genere adhuc quædã adducere placet. Non immeritum hic multis in deducendo eo, quod Satan primus sit autor pestiferæ illius Sectæ, qui omnium autor est hæresium. Sane, meritò ab orthodoxis, stantibus suis hypothesebus, (quæ immoto verbo Divino sunt innixæ,) id asseri, concedere tenentur *Sociniani*: quia illi è contrario effreni linguâ in sanctissimam nostram, rationis magisterium aspernantem, doctrinam debacchari haud verentur, prout ante percepimus. Breviter tantum considerabimus, *partim*, quod nefarii Sociniani veros suos antecessores mox pro suis agnoscere nolint, mox autem effuse laudent; *partim*, quod S. Scriptores, & quodammodo etiam Viros Ecclesiasticos ab antiquitate pariter ac orthodoxia commendatos, in castra sua obtorto collo trahere laborent.

§. II. Cur non ad *Simonem Magum*, hæreticorum omnium principem, confugiant, qui Patrem & Filium & Spiritum S. diversa tantum esse ejusdem Personæ nomina pro diversâ ejus operatione, docuerit, quærit adducto *Danao in Augustin. de hæres. p. 45. seqq. D. Val. Alberti in Interesse Relig. Christ. Art. II. th. 2. §. 11*. De errore illo Simonis conferri potest *Irenæus adversus hæreses l. 1. c. 20*, & ex recentioribus Celeberr. *Dn D. Ittigius in Dissert. de Hæresarch. l. & II. Seculi p. 24*. At Sociniani non solum *Simonem* pro suo agnoscere nolunt; verum interdum quoque alios minus vulgo notos & contemptos hæreticos ex Patrum suorum familiâ, quantum in ipsis est, delere conantur. *B. Schertzerus,*
post-

postquam in *Coll. Anti-Socin. proæmio* §. 3 dixerat, non accuratè defini-
niri posse, quo tempore præcisè *articulus de DEO* corruptus fuerit,
omissis illis, quæ Christum natum antecedunt, temporibus, post ex-
hibitum Christum tres ponit periodos, in quarum prima post *Simo-*
nem Magum, Cerinthum ac Ebionem Seculo I; *Menandrianos, Artemoni-*
tas, Noetianos aliosque Seculo II; *Sabellianos ac Samosatrenianos* Sec. III,
videntes: in *Secunda Arium, Macedonium & Photinum* Seculi IV. hæ-
reticos, nec non *Muhammedem* Seculi VII dedecus, ac tandem tem-
pore Sec. XII. *Petrum Abailardum, Gilbertum* aliosque collocat: ter-
tia deniq; *Michaeli Serveto ac Socini* destinata, nempe Sec. XVI. Ve-
rum si Socinianos audire placet, illi interdum horum hæreticorum
nomina injuste sibi tribui, imo quædam istorum orthodoxis po-
tius tribuenda esse, calumniosè pariter ac protervè clamant.

§. III. Ad *Cerinthum* quod spectat, ne provocemus ad ipsum *Soc-*
cinum in *Tract. Quod Regni Poloniae &c. & Osterodum in Instir.*, quos cita-
vit *B. Calovius* in *Socinismo profligato* p. 2, audire hic placet verba, quæ
in *Comment. Wolzogenii super Evang. Johannis* p. 701. in *Bibl. Frat. Polon.* le-
guntur. Sic autem ille: *Plerumq; creditur, Ebionem & Cerinthum, qui*
supremam Christi Deitatem negarunt, ansam dedisse Johanni Evangelistæ, ut
hoc suum Evangelium scribere aggrediretur. Hanc conjecturam veteres nonnulli
Ecclesiæ Doctores prodiderunt. Jis propositis sententiam *Cerinthi*, ci-
tato *Irenæo & Theodoretto*, hisce verbis exhibet: *Cerinthus docuit, alium*
fuisse Jesum & alium fuisse Christum, cumque Jesus in Jordane esset baptiza-
tus, Christum in formâ columbae de cælo super eum descendisse, inque eo habitas-
se & omnia miracula in eo patrassè usque ad tempus passionis ac mortis ejus, at-
que tunc Christum rursus ab eo avolasse, solumq; Jesum esse passum. Pau-
cis interjectis, *Cerinthum à Johanne reipsâ refutari* concedit, ve-
rùm hoc concessio simul quoque orthodoxos invadit sequenti mo-
do. Cum igitur *Cerinthus* vim faciendi miracula non homini *Jesu*, sed alte-
ri personæ, quam Christum nuncupavit, -- attribuerit, patet, eum quoq; negas-
se, quod *Jesus* sit Christus Filius DEI, atque adeo hoc Evangelium etiam ad-
versus ipsum scriptum fuisse. Verùm non minus per hoc Evangelium etiam
omnes illi refelluntur, qui Domino *Jesu* supremam DEItatem adscribunt, cum-
que solum esse DEI filium statuunt, qui ab æterno sit ex essentiâ Patriæ genitus.
Et paulò post: Si penitus res introspectiatur, comperietur, non ovum ovo esse
magis simile, quam est hæc opinio, (nostram intelligit mendacissimus
mortalium) opinioni *Cerinthi* similis. *Cerinthus enim etiam, quicquid*
E divini

divini in Domino Jesu erat, non ipsi, sed alteri personæ, quam Christum appellabat, attribuit, sicut & isti omnia, quæ in Domino Jesu divina eluxerunt, non ipsi sed alteri personæ, quam illi secundam Trinitatis personam appellant, attribuant. Verum ut ad illa, quæ de nobis blaterat, statim respondeam, ipse impostor hic in paulo post sequentibus advertit, pro absurdo à nobis haberi, duas in Christo statuere personas, unde adjuncta sit divina Christi personæ - non humana personæ, sed humana tantum natura. Quæ in re tamen benè tenendum, quod vi arctissimæ unionis divina personalitas tam conveniat humanæ naturæ, quam ipsi divinæ, (et si non primò ac per se) ut exinde propositiones emergant in naturalibus rebus planè inusitatæ, e. gr. hic homo est DEUS, Marc. XV, 39. Jerem. XXIII, 6, intelligendo id personaliter, ob communicatam subsistentiam divinam. Audi vero, quantopere orthodoxam sententiam ulterius depravet nefarius Wolzog. magnumque simul absurdum nobis falsò tribuat, dicendo: quod humana natura hoc loco sint humana proprietates, adeoque humana Christi personæ i. e. verus & essentialis homo prorsus è medio sublati sit. Nullus certè orthodoxorum humanam naturam proprietates vocat, sed ipsam potius essentiam, ex corpore & animâ constantem, proprietatibus suis vestitam. Vid. hæc de re status Controversiæ formatus à D. Franckio in demonstratione Deitatis Christi p. 1. Qvis autem dubitare potest, illum verum esse & essentialem hominem, qui, licet careat humanâ personalitate, infinita subsistentiâ, ut unus existat Θεὸς ὁ ὢν (Vid. 1. Tim. II, 5. 1. Cor. VIII, 6.) compensata: corpus tamen Matth. XXVI, 12, & animam, ibid. v. 38, habet, ceu partes essentielles homini debitas. Neque id omitendum, quod in opere mediatorio utraqve agat natura, non autem sola Divinitas, vid. Act. XX, 28. 1. Job. I, 7; item, quod humana natura ipsissima quoque habeat attributa divina, omnipotentiam, omniscientiâ aliaque Matth. XXII, 18, 20, ac denique non quidem vi naturæ suæ, veruntamen; per unionis gratiam; unio personalis, ex quâ attributorum horum communicatio fluit, sit plane indissolubilis.

§. IV. Quod ad Ebionem pertinet, Sociniani ut plurimum existentiam ejus in dubium vocant; vid. idem Wolzogenius initio Comment. in Matth.: quæ in re sequitur istos præter alios Godofred. Arnoldus pro merito castigatus à Dn. D. Schelguigio in Dissert. de Ebionitis an. 1700. habitâ. Ebionitas verò ajunt dici ab ἑβραί, quod egenum notat, à paupertate scilicet, sive poti⁹ abominabilitate doctrinæ

næ

næ suæ de Jesu, quem haud secus ac *Cerinthiani* existimaverint ex conjunctione *Joseph* cum *Mariâ* uxore suâ natum esse. Vid. ipse *Socinus* in præf. libri, quod *Regni Poloniae* &c. p. 691, ubi ad ostendendam *Ebionitarum* à semet differentiam id quoque urget, quod nemo *Ebionitarum* fuerit, qui *Christianis* hominibus *Mosaicam* legem non servandam censeret: quod sanè rejiciant *Sociniani*.

§. V. Non minus etiam de nominationem à reliquis hæreticorū ante nominatorum factam, deprecantur interdum *Sociniani*, nomina ejusmodi sibi ad invidiam, propter damnatam jam diu *Arii*, *Ebionitarum* similiumq; hæresin, conciliandam, imponi qverentes. Audiatur Autor anonymus *Epistola de vitâ Andr. Wissowatii* in *Bibl. Anti-Trin. Sandii* p. 225, qui, *Ebionitarum*, inquit, *Samosatenianorum*, *Arrianorum*, *Photinianorum*que nomina in opprobrium ipsis imposita sunt. *Stanisl. Lubieniecius* quoq; in *vitâ Slichtingii*, præmissâ ejus operibus, dicere non veretur: NB. esse eos *Catholicos* seu *Unitarios*, quos vulgi iniquitas in contrarium euntibus *Arrianorum* & *Photinianorum* compellat titulis. Similiter tam *Arianorum* quàm *Samosatenianorum* nomina rejicit *Slichting.* in *Vindic. Confess.* apud *Joh. Fabric. Controvers.* p. 197. *Socinus* etiam lib. quod *Regni Pol. &c.* p. 692, falso, ait, fidei suæ socios *Arrianos* dici, quia *Arriani* sentiant, *DEI* Filium esse substantiam spiritualement à *DEO* ante cælum & terram--creatam ex nihilo, hancq;--humanum corpus tandem sic assumptisse, ut corpori isti fuerit loco animæ--indeq; humanâ animâ careat--& sic, (quod ipsimet fateri coguntur) verus & naturalis homo non fuerit.

§. VI. Verum enim verò ipsa veritas docet, *Socinianos* quam rectissimè nominibus antiquorum hæreticorum, certo nimirum dogmatum quorundam præcipuorum respectu, insigniri. Nam utiqve e.g. cum *Cerinto* in eo conveniunt, quod *JESUS* sit nudus homo. Pari quoque modo *Ebionitæ* non eam solum ab causam à Patribus rejecti sunt, quod *Christum* Patre *Joseph* ortum dixerint; cum utiqve, existentiam *Christi* ante *Mariam* à Patribus defensam esse, *Sociniani* plerumque concedant. Imò neque omnibus ex *Ebionitarum* grege sententiam illam, de generatione *Christi* ordinario modo factâ, tribuere audet *Socinus*, cujus l. ante c. hæce sunt formalia verba: *Ebionitæ* verò maximâ & potissimâ (ergo non omni) ex parte, *Christum* ex concubitu & conjunctione *Joseph* cum *Mariâ* uxore suâ natum dixerunt. Ut nihil nunc dicam de eo, quod loco legis *Mosaicæ* novas leges à *Christo* latas, salutemq;

per illarum observationem obtinendam esse, fingant Sociniani, Pauli doctrinam de Justificatione per fidem sine operibus re ipsâ rejicientes. *Arianos* autem non minus ac *Socinianos* æternam Christi Deitatem negasse, & meram ex eo fecisse creaturam, ex verbis *Socini* patet. Quid dicam de *Photino*, qui humanitatem Christi nudam ante Socinianos defendit, occasionem præbens nomini Socinianorum consveto, quando illi *Neo-Photiniani* appellari solent. Quid multis? Ipsi interdum Sociniani quosdam hæreticorum illorum, pudore tantisper deposito, inter patres suos referre amant: *Conf. Sandii Nucleus* p. 92. Adducere hunc in finem juvabit verba apprimè huc facientia *Andr. Wiffowatii in præfat. Bibl. Frat. Pol. Unit.*, sequenti modo se habentia: Inter alia Religionis dogmata, maxime circa ipsius *Jesu Christi naturam atq; substantiam seu Personam excitata sunt* (de mortuis nempe Apostolis) *controversiæ. Quibus tamen temporibus, dum errores isti emergerent, viri nonnulli Apostolica simplicitatis tenaces eis restiterunt, ut Theodotus Byzantius, circa annum Christi 190.* (de quo in præmio dictum, cujusque gloriationem vanam esse ostendit Sandius locò ib. allegato) *quem Victor Episcopus Romanus genere Afer, ob sententiam de Jesu Christo cum apostolica consentientem, sed ab eâ, quæ tunc invalescebat, dissentientem, ac Ecclesia exclusisse scribitur: cum Artemon cum suis Sociis & Paulus Samosatenus Episcopus Antiochenus circa annum Christi 260, & (ut præteream Beryllum Bostrensem in Arabiâ & Marcellum Ancyranum in Galatiâ Episcopos) Photinus Episcopus Sirmiensis circa annum Christi 350, à quo denominati Photiniani, per tempus aliquod veritati testimonium præbebant, quod ex historiis apparet. Quorum verborum maxima est convenientia cum iis, quæ ab eodem Wiffowatio exhibentur in Narrat. compendiosâ subjunctâ Bibl. Anti-Trin. Sandii p. 209. Paucis interjectis, ad hostium hæc in parte consensum idem Autor provocat, dicens: Adversarii cautiore sententiam hanc non demum natam sed renatam (verba sunt Frid. Spanhemii in El. controver. p. 144.) nec primum ab hominibus istis (Socinianos intelligit) eusam, orbis Christiano expositam, sed recusam, & post-liminio repositam agnoscunt & consentunt. Pari ratione Eques Polonus, autor vindiciar. in Bibl. Anti-Trin. Sandii p. 268, Ariatorum quidem nomen à suis removet, existimans hunc titulum illis tribui, ut veteribus Arrianorum injuriis ulciscendus fiat pretextus, rationis loco apponens diversitatem semet inter ac Arrianos, quin & odium Arrianorum ergà eos, quos pro suis antecessoribus venditare datâque*

taque occasione nominare haud erubescit. Verba ipsissima hæc sunt: *Arriani acerrimè persecuti sunt Photini Episcopi Sirmienses, & antiquioris eo Pauli Samosatani Episcopi Antiochia discipulos, qui primorum Christianorum Nazæorum, Ebionitarum, Theodoti Byzantini, Artemonis aliorumque primo & secundo seculo viventium fidem retinentes, primævam veritatem urserunt, quam & nos confitemur.* Imo Joach. Stegmannus in proba, ut vocat, c. X, p. 415, non tantum Cerinthianos & Ebionitas, sed etiam Basilidianos, Carpocratios, Gnosticos, Valentinianos aliosq; in subsidium adsciscere ausus fuit, teste D. J. W. Bajero diss. de Monarchianis §. 2. Qvi specialem justamque hujus rei deductionem desiderat, adire poterit B. Calovii Socinis. proflig. sub initium, ubi quæst. I, quod illi rectè nuncupentur Ebionitæ & Cerinthiani, II, quod Ariani, III, quod Samosatani, IV, quod Photiniani, V, quod Abelardiani, VI, quod Servetiani, VII, quod Sociniani; solidis rationibus probatur. Quod etiam Nøetus & Sabellius eo in passu præverint Socinianos, quando plures in divinâ essentiâ personas negaverunt, etsi Patrem Filium & Spiritum S. tria tantum distincta nomina facientes, in speciali sententiæ explicatione ab iis fuerint differentes, citatis Socini c. I. respons. contra Jac. Wujekum verbis, ostendit D. Calovius in Consider. Theol. Socin. præmiali §. 244. 245. Imo si placet, ad Judæos etiam recentiores confugere possunt, quoniam illi pari modo, Deum esse essentiâ ac personam unum, & Messiam nudum hominē, statuunt, idque eò facilius, quia Franciscum Davidis, in cæteris censentem, ob denegatam nudo homini Jesu adorationis gloriam, in Semi-Judaizantium dogmata delapsus profitentur. Vid. Sandii Bibl. Anti-Trin. p. 55 & p. 54 sub nomine Simonis Budnei. Nec minori ratione apud Muhammedanos solatium invenient, ex quorum informatione Servetus laudabiles suos hausit profectus. Vid. quæ Wujekus Socinianis objecit, nec non ea, quæ frigidè satis reponit Socinus in Anti-Wujeki c. 1. Tom. II. p. 531.

§. VII. Licet vero hæc quoad cætera sufficere queant, merito tamen ob durantem adhuc hodie inter Arii asseclas & Socinianos, Photinum secutos, controversias, quædam ad horum res pertinentia addenda nobis veniunt. Audiamus igitur jam sæpè nominatum Arianismi hyperaspitem Sandium. Is grave Socini erga Arium ejusque scholam conceptum odium, in Nucl. H. E. p. 149 sequentibus exponit: *Ipse Faust. Socinus in fine Ante-Wujeki (reperiuntur ista Oper. ejus Tom. II, p. 619. b.) Arianis & procul dubio*

*Epst Ario tribuit, quod noluerint colere Filium DEI, & ob id eis anteponebat homo-
usianos. Quod Arius Seculi IV hæresiarcha, negatâ verâ Christi Dei-
tate ita turbaverit Ecclesiam, ut ad veram fidem defendendam ha-
bitum sit an 325, sub auspiciis Constantini M. Concilium Nicæ-
num Imum Oecumenicum, in vulgus notum est. Eundem quoq;
in cloaca, ejectionis unâ cum excrementis visceribus, animam efflavis-
se, post alios ex variis testibus refert J.G. Rabenerus in *amæn. historico-
philol.* p. 142. Quamvis non cum interitu Arij interierit Arianismus,
qui potius *Constantii* aliorumq; favore maximè crevit, & Orthodoxis
satis diu gravis fuit, in sectas tamē iterum scissus. Vid. *Sagitt. intr.* p. 848.
Laudabilē in eo refrenando operâ præstitit Theodosius M., sensim-
que D.J. etiam inter *Gothos Vandalos* coeterosque extinctus fuit. Au-
diamus vero, quid ad Arij accusationem, à Socino (quanquam eum
non speciatim nominet) factam, reponat *Sandius*. Ultramque ni-
mirum ejus assertionem falsitatis arguit. Regerit enim ad *primam*:
Arianos eam ob causam ab Athanasio Ethnicis comparari, quod
Christo ceu nudæ, juxta eorum opinionem, creaturæ, cultum exhi-
beant. Plura huic fini cumulat loca; ubi tamen notandum, quod
Eusebium manifestum Arianum vocet; cum contrarium præter alios
luculenter probet *Henr. Valesius*, nec non *Gv. Cave Script. Ecc. Hist.*
lit. p. 92. B. Ostendit paulo post p. 250, *Arianos* longe altiora sentire de
Filio DEI, quam *Socinianos*: hi enim id solum credunt, Christum
esse cœpisse per Mariam, & Filium DEI esse solum per conceptionem ex Spiritu
S. & DEUM adorandum factum per resurrectionem ob merita sua. At *Ariani*
credebant, Christum & DEUM & DEI Filium fuisse per generationem ante-
mundanam à Patre—Christum etiam ipsum Creatorem omnium vocabant, & Tri-
nitatem Personarū profitebantur, quam *Sociniani* negarunt. Utinam hæc ita
benè intelligeret impostor, ac primo intuitu verba sonant. Verum
ut ex toto tractatu patet; per Deum intelligit Creaturā, per generationē
Creationem, per Trinitatem Personarum Ens infinitum & duo entia finita.
Nunc ad cultum Christo præstandum his verbis pergit: Fateor equi-
dem, *Arianos* non eo summo cultu adorasse filium, ut Patrem. Si autem *Socinus*
in eo reprehendit *Arianos*, quod non summo latræ cultu filium adoraverint,
qualem cultum ipse Filio tribuere videtur in *Disput. contra Fr. Davidi*: sciat,
Arianos magis in his rationales fuisse, quā se ipsum. Vid. & *T. I. p. 692* Verū in eo
passu utiq; s. literæ faciunt pro *Socino* (si modo ea est mens Socini) ut
eundem cultum tribuant Filio ac Patri. Facit huc *Jes. VI. coll. Job.*
XII, 49.*

XII, 40. Job. V, 23. Jes. XLV, 23. coll. Philipp. II. E contrario rectè etiam demonstrat Sandius, Christum, si merus sit homo, adorare & contrà rationem esse & contrà Scripturam S. Verba sunt à nobis adducta Cap. I. §. 6. Quoad alterum autem, *admodum*, inquit, *αδύως* dicie (Socinus) Homousianos præstare Arianis: cum ipsius sententia longè magis differat à religione Homousianorum, quam Arianorum, concesso etiam, quod hi filium non adorarint. His animadversis, moderni Sociniani nec Filium summo cultu colunt, nec Arianos postponunt Homousianis. Fatemur quidem libenter, verum esse illud, quod prioribus Sandii verbis exprimitur; sed dolemus, quod Sociniani illi, supposita ductu scripturarum cultus Filii DEI cum Patre æqualitate, justam exeundi ex dubiis occurrentibus viam, per confessionem veræ Deitatis ejus, non sint ingressi. Loca eorundem nonnulla ad Sandii scopum facientia congeffit Hartnaccius in *Contin. Hist. Eccl. Micr. al.* p. 1027. Jam fontem simultatis verum aperit Sandius sequentibus verbis: *Non ista fuit præcipua causa odii, quo Socinus persequeretur nomen Arianorum. Manserat altè mente repositum judicium eorum, qui in Concilio Sirmienti Photinum, quem secum sensisse falsò putabant, condemnauerant: hoc ipsos adhuc Socinianos malè habet.* His autem prolatis Arii de existentia Christi antemundanâ sententiam, argumento à tutiori desumpto persuadere conatur, dicendo: *Si Christus præexistit, quanti res plena perituli, Christo id nolle concedere, quod ei jure competit. — Et si non fuit ante Mariam, non succenset ei, qui ei nimium honoris tribuerunt.* Verum huic Ariano sensu intellectæ præexistentiæ, quod nempe spiritualis illa creatura, quam vocant Filium DEI, ex Mariâ corpus assumpserit, eique fuerit instar animæ, rectè opponit Socinus, quod per illam vera negetur Salvatoris humanitas. *Siquidem*, inquit in *brevissima institutione Christi. Religion. Tom. I. p. 657*, DEI filium jam perfectè extitisse contendunt, antequam esset homo — necesse est, ut si quid habet humana natura, quod postmodum adeptus sit, id non ad ipsius essentiam pertineat. Certum sanè est, hominem constare ex duabus partibus essentialibus, corpore & animâ, tanquam duabus naturis incompletis, quas homo adipiscitur in generando. Cum igitur *γενόμενον ἐκ τῆς* (Maria) *αἰών* Luc. I, 35, sive ex Mariâ genitus homo, qui & sæpissimè *Filius hominis* vocatur, nullo modo quoad naturæ humanæ veritatem à reliquis in Scripturâ S. distingvatur, id quod utique in maximam nobis cedit consolationem; sed è contrario Filius DEI, sicut pueri, particeps factus fuisse

carnis

earnis & sanguinis dicatur, *Hebr. II, 14*, per se patet, in fenum abire assertionem Arii. Patet interim ex modo adductis veritas verborum *Hilarii* (quæ etiam adducit, verum injuste pro malâ suâ causâ, *Sandius l.c. p. 157.*) *l. 7. de Trinitate*, quando ait: *Hæretici omnes contrâ Ecclesiam veniunt; sed dum hæretici omnes se invicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt. Victoria enim eorum Ecclesie triumphus ex omnibus est, dum in eo hæresis contrâ alteram pugnat, quod in hæresi altera Ecclesie fides condemnatur.*

§. VIII. Notabile id quoque est, quod *Photinianismus*, (à Socino in orbem reductus) *Sec. XVI.* *Arianismum* ferè oppresserit, sicut hic ultimus *Sec. IV.* *Photinianismum*, ceu paulo ante audivimus. Ut igitur de *Photino* nonnulla addamus, sequentia referre placet. Fuit is Patriâ *Ancyranus*, Episcopus *Sirmiensis*, in *Formulâ fidei* ab *Athanasio* in *Concilio Antiocheno* recitatâ, *Scotinus* (ex quo nomine per anagramma abjectâ literâ t. *Socinus* emergit) à tenebris damnabilium errorum, (cum *Photinus* à voce *Φωξ* lux derivetur) appellatus. Ingenii, quæ pollebat præstantia, maxima astutia, populique favore ad propagandos tam ore quàm scriptis errores, abusus est. De scriptis ejus conf. *Socrates l. 7. c. 30*, ubi indicat, illum præter reliqua contrâ omnes hæreses scripsisse, & *Celeb. Dn. D. Ittigius in Dissert. de Photino §. 47.* Varia ejus fata ibidem exhibentur §. 49, quod nempe post disputationem cum *Basilio* in exilium actus sit, sub *Juliano* revocatus videatur & à *Valentiniano* iterum expulsus, tandemque in *Galatiâ* mortuus sit. Non omnes quidem eos, quos defendunt *Sociniani*, fovit errores, e.g. de annihilatione damnatorum, rejectione officii Magistratus, ceu vero Christiano haud convenientis, licet nominatos hosce ipsi tribuerit *Paul. Stockmannus* in *Elucidario hæresium*, emendatus propterea à summè *Rev. Dn. D. Ittigio* in *Dissert. de Photino §. 14*; quemadmodum etiam probari non potest, satisfactionem Christi ab eo fuisse negatam. Præceptore usus *Marcello*, Episcopo *Ancyrano*, *Samosateni* asseclâ primum occulto post manifesto, indeque ab *Athanasio*, qui eum primò defenderat, rejecto & ab *Eusebio* in libris contrâ *Marcellum* aliisque hæreseos accusato, (vid. *D. Ittigius §. 3.*) divinitatem Christi negavit, ejusque initium à tempore nativitatis ex Mariâ derivavit, etsi non ex cohabitatione ejus cum *Josepho*, sed per virtutem Spiritus S., prout patet ex *Epiphanio hæresi 71. Sandius in Nucl. Hist. Eccl. p. 117*, *Sabellianismi* quoque eum accusat,

accusat, citatis quibusdā Patrum locis. Ast illud non absolute intel-
ligendum. Vid. Sulpit. Severus l. 2. c. 25. *Histor. sacra, Vigilii Tapsensis in*
Dialogo p. 122. Hilarius l. 7. de Trinit. c. 7, citati à D. Ittigio l. c. §. 9; & apud
Vigiliū quidē sequentia Photino tribuuntur verba: Ego dico, (reje-
cto Sabellio, qui impiè statuit: DEum Patrem per Virginem natum)
DEum Patrem Filium habere Dominū JESUM Christum ex Mariā Virgine initium
sumentem, qui per meritum à DEO Patre in Filium est adoptatus, & eximio
Divinitatis honore donatus. En verum Socinianorum Patrem! In-
constantiam tamen ejus diversamque in explicando Evangelii
Johannis initio, ceu malleo horum hostium fortissimo, à Socinia-
nis opinionem, ex eodem Ittigio §. 10. seqq. petere licet. Quod
Regni Christi aternitatem negaverit, ex *Socrate* patet l. 2. c. 19, &
Ittigio §. 12. Quam variis in Conciliis damnatus sit *Photinus* iste, non
constat inter Eruditos, ut patet ex controversiā *Petavium* inter &
Sirmondum agitata. Sirmiensis synodus, ejus §. antecedente men-
tio fuit injecta, indicente *Constantio* Imperatore, summo Ariano-
rum Patrono, anno 351. ab Orientalibus inprimis Episcopis ha-
bita est, de quā conferri meretur *B. Dorschaus* in *Collatione ad Sirmiens.*
Concil. ac *Ittigius* l. c. §. 37. seqq. Et circumferuntur quidem tres Fi-
dei Confessiones Sirmienses, quarum secunda an. 357. scripta, adeo
crasse errorem exprimit Arianorum, ut ab *Hilario* *Osii* ac *Potamii*
blasphemia appelletur. *Osius* enim *s. Hosius*, licet subscripsisset Con-
cilio Nicano, tormentis tamen ac persecutionibus Arianorum,
non secus ac *Liberius* Episcopus Romanus aliique, etsi pessimè, eò
adactus est, ut illis ore assensū præberet; indeq; confessio ista ab ipso
Basilio (qui Concilio Sirmienti ante nominato interfuerat) aliisque
in Synodo Ancyranā congregatis an. 358. rejecta sit. Tertia publi-
cata est ab *Ursacio* & *Valente* an. 359. Prima autem, in memorato
Concilio Sirmienti approbatæ, in fine adjecti sunt Anathematismi
hæreticis oppositi, quorum nonnullis Photini impietas damna-
tur. De hac Confessione notandum, quod vocem *ἀποστολῆς* omit-
tat, phrasēsque nonnullas adhibeat duriores, interim ita sit compara-
ta, ut pro vera habeatur ab *Hilario*, quem nonnulli sequuntur;
licet merito concedamus cum D. Ittigio §. 41, plerosq; hujus Concilii
Episcopos Semi-Arianos fuisse, eorumque studio hanc fidei formulam am-
biguè ac subdolè conditam. Provocat eum suis in finem laudatus Vir
in *Additament* ad ipsum *Hilariū* p. 480, quia Pater ille in *responsione* ad-
versus

versus Luciferum testatur, se non adeo simpliciter assertionem ante commemoratam intellectam velle.

§ IX. Haftenus de Socini antecessoribus; quos magna ex parte ut occasio fert, Sociniani mox silentio praterunt, mox strenue laudant. Videndum nunc quoque, quosnam falso pro antecessoribus suis venditent; quod ex ore percipiemus *Crellii* in *Prefat. Tract. contra Grotium de satisfactione*. Ibi nimirum, cum Grotius sententiam Socinianis oppositam, *Catholicam* -- tot Patrum autoritate munitam vocasset, regerere audet, suam opinionem verè Catholicam esse, quod ea sententia Catholica sit, quæ Christi, quæ Apostolorum est. Christi igitur ac Apostolorum semet affectam profiteretur. Verum credit hoc, cui clarissima scripturæ dicta, quæ Patres orthodoxi secuti hoc loco sunt, pervertere curæ est pariter ac voluptati. Patres quidem antiquæ Ecclesiæ non adeo magni æstimaunt Sociniani, conf. *Sandii Nucleus* p. 93, atque communiter etiam Ante-Nicænos Arianis adscribere solent; nihilominus id tamen lucrari ex hoc ipso quærent, ut a *Anti-Trinitariorum* castra optimi illi viri referri queant. Sic *Stanisl. Lubieniecius* in *Vindict. apud Sandium Bibl.* p. 268, *Ariani*, inquit, opinati sunt, Filium DEI -- ante mundum conditum re ipsâ existisse, ex nihilo creatum, -- *Justinum, Irenæum, Theophilum, Tertullianum, Origenem, Dionysium Alexandrinum, aliosq. Patres, ut auctores dogmatis sui, secuti, quod cum fidei nostræ (Socinianæ) confessione nequaquam consentit.* Haud absque iucunditate ex his verbis percipimus, quod scriptor iste satis celebris ortum sententiæ suæ viris ab orthodoxiâ in Ecclesiâ laudatis, adscribere non audeat; sed damnatos potius ab Ecclesiâ hæreticos (verba ante adduximus) pro Patribus suis venditet, licet Arianis Ecclesiæ Patres vindicare conetur. Verum addemus adhuc verba *Joh. Lud. Woltzogen*, qui licet in orthodoxiam blasphemus sit neq; veritati planè litet, sententiam tamen Patrum primorum ab Arianorum placitis diserte distingvit. De Filio DEI itaque loquens, initio, inquit, pro summo DEO non habebatur, sed tantum pro singulari quâdam personâ, quam DEUS ante mundi creationem, (non tamen ab eterno sed certo tempore) ex suâ existentia genuerit, quæ propterea nomen Filii DEI gerat: cui sententiæ plerique Veterum Patrum ante *Nicænum Concilium* -- addicti fuere -- Alii Christo quidem divinam Personam adjunxerunt, sed ejusmodi, quæ non ex essentia Patris generata sit, verum ante mundum conditum à DEO Angeli insiar sit creata, quam

senten-

sententiam Arius cum affectu suo urfit. Et hujus sententiae quoque fatanam facit autorem. Pergit autem: Tandem persona ista plane altissimus DEUS effecta est -- idque potissimum factum in Nicano Concilio -- id quod celeberrimus Jesuitarum Petavius agnoscit de Trinitate l. 1. c. 1. §. 3, aitque -- quod hoc mysterium demum post exortam cum Arianis controversiam Catholicis sit patefactum ac confirmatum.

§. X. Acceptamus ex hoc Wolzogenii discursu, quod suam sententiam à Patribus derivare non audeat; deinde, quod Arianos cum Patribus consentire neget, fictamque eorum doctrinam fatanæ tribuat. Quod verò Patribus faciat injuriam, heterodoxam illis, de negatâ æternâ filii à Patre generatione, tribuendo sententiam, sufficienter jam à sinceris gloriæ divinæ vindicibus demonstratum est. Egregiam hoc in passu præstitit operam Georg. Bullus tunc Presbyter nunc Episcopus Anglicanus. Ediderat enim sæpè adductus Christ. Sandius Nucleum Historia Ecclesiastica, eum in finem, ut Patres ante Nicanos Arianis adscriberet, Nicanos maledictis incesaret, multosque invitâ veritate in castra Arii oborto quasi collo raperet viros egregios; inter quos & est B. noster Lutherus sufficientertamen jam à variis defensus, Vid. B. Gerb. Exeg p. 986; nec non Diss. Theol. pro gloria DEI Diss. 9. §. 6. & nuperrimè Dn. M. P. Zorn's Lutherus Catholicus. Unde facile patet, non decere Theologum pium talibus uti verbis, qualibus usus est Gotb. Arnoldus in der Kirchen- und Ketzere-Historie P. II. Lib. XVI. §. 1. p. 397. quando ait: So will ich auch der andern sonst berühmten Leute nicht eben gedencken / welche der bekante Sandius zu diesem (Arianischen) Hauffen gezelet hat / und zwar NB. nicht allezeit ohne gewissen Grund. In allegatis enim ad hanc positionem citat Sandius Nucleum 423. & seq. ubi præter Erasmus, Cajetanum, Calvinum, Lutherus Arianis adscribitur. Qvis autem negaret, B. Lutherum non esse in suspensionem gravissimæ hæreseos adducendum (ut de reliquis nihil nunc dicam) verum contra jam convictos calumniatores justo modo defendendum? Cæterum doctissimus Bullus an. 1685. impostori opposuit Defensionem Fidei Nicane, constitutis quatuor de hac materiâ capitibus, quorum tria priora Anti-Trinitarios acutè oppugnant, ita ut in primo de exi-stentiâ Filii DEI ante Mariam contra Socinianos, in secundo de ðµωσία, in tertio de coeternitate Filii cum Patre contra Arianos agatur, aperta Patrum de hisce rebus dicta proferendo, durasque loquen-



di formulas explicando. Certum enim est, ante motas contro-
 versias liberius nosmet loqui; eos verò scriptores, qui nobiscum
 sentiunt, clarissimis ejus rei exstantibus indiciis, ob phrasium abs-
 que malitiâ & perverso Syncretismi studio adhibitarum differen-
 tiam, non esse adversariorum nostrorum classi inferendos. Late-
 rem lavat *Stephan. Clark* Anglus Socinianus, quando in edito anno
 1694. *Ante-Nicanismo* non solum Patrum testimonia pro Arianis &
 Socinianis corradere tentavit: sed etiam adjungere brevem re-
 sponsonem ad *G. Bulli Defensionem Synodi Nicanae*. Nam violenta de-
 torsio verum testimonium efficere nequit. Ast communis
 est Socinianorum Anglorum cum *Bidello* suo malitia, Patres in sub-
 sidium errorum suorum non tam proferre quam detorquere, &
eram toties à *Zwicker* *Sandioq.* collam, & à *Comenio*, *Gardiner*, *Wit-
 bjo*, *Bullo* aliisq. pridem rejectam, iterum iterumq. ad omnium nauseam re-
 coquere; ceu loquitur *Celeb. D. Mayerus* in *Epist. de Controversiis Anti-
 Trinitar. in Angliâ*. Ad *Samuel. Gardinerum* quod spectat, materiam
 hanc pertractat in *Hypotyposi* sive *Catholica circa SS. Trinitatem fidei
 delineatione ex scriptis Patrum Ante-Nicanorum*, & *Responf. contra Sandii
 Epistolam* tractatui suo oppositam. Cum autem *Sandius* in *Secun-
 da* editionis *Nuclei* sui appendice, ad hanc quoque *Epistolam* subjun-
 xisset *responforiam*, *Gardinerus* denuò eum refutavit an. 1681. in *Re-
 sponsione Valedictoriâ*, una cum appendice de *Cingallo*, h.e. larvato *San-
 dio*. Nec minus *Dan. Whitby* in *Tract. de verâ Christi Deitate adversus
 Arii & Socini haereses Sect. II.* Patrum pro orthodoxâ sententiâ collegit
 testimonia. *Comenius* autem contra *Zwickeri Irenicum Irenicorum*
 calamum strinxit, ita ut iste *Irenico-mastigem duplicem* eidem op-
 ponere necesse habuerit. Defensus etiam fuit à *Frid. Sylvio* in *Dissert.
 Epistolari*, quamvis & huic tentaverit respondere *Zwickerus*, sed laterẽ
 lavando. Vid. interim *Sandii Bibl. Anti-Trin. p. 152. seqq.* Ex Gallis *Re-
 formatis Juris* in *Repræsentat. Socinianismi Epist. 6. Artic. 1.* vindicat
Polycarpum, *Athenagoram*, *Justinum Martyrem*, *Tatianum*, *Irenaeum*, *Cle-
 mentem Alexandrinum* & *Tertullianum*, quibus addit art. 2. *Origenem*,
Theophilum Antiochenum & *Lactantium*. Eadem de re agit in tract.
*Religio Latitudinarii cum Apologia pro SS. Trinitate P. II. c. 5. (conf. Act.
 Erudit. an. 1697 p. 55. seqq.)* ubi & contra *Saurinum* scribit, ei tribuens,
 quod Patres *Ante-Nicanos* Sabellianismi ac Arianismi accuset, *Nica-
 nos* verò & sequentes *Tritheismi*. *Saurinus* verò illos quidem ab
 hete-

heterodoxia absolvit, injuriam sibi fieri dicendo; *hos* verò rectè accusari, ratione scilicet scriptorum suorum, etsi asserere non audeat, errorem illum mentes ipsorum revera occupasse, contendit, (vid. *Vindicia ejus P. I. c. I. § 3. nec non Acta Er. Lips. an. 1697 p. 334. 337.*) merito propterea à *Jurio* castigatus. *Urginius* quoque in *Epist. contra Anti-Trinitarios* (vid. *A. E. an. 1694. p. 419.*) p. 32. *Justini Martyris*, *Irenæi*, *Tertulliani*, aliorumque documenta huc citat. Ex *Nostris* præter cæteros *B. Calovius*, cujus scripta Anti-Sociniana in æternum perstabunt, & in specie ejus *Confessio Martyrum aliorumq; fidelium de SS. Trinitate Tom. II. Operum ejus Anti-Soc.* conferri meretur.

§. XI. Perversa igitur sunt labia *Crellii Præf. libri de Satisfactione Christi*, *Grotio*, contra quem librum istum direxerat, impunitis, ac si in loco de DEO antiquissimorum Patrum sententiam sequi noluerit. *Neg.* enim, inquit, persuadere mihi possum, ignorare *Grotium* — eos (Patres) haudquaquam credidisse, Patrem & Filium Personas esse in eadem numero substantia existentes — Filium autem, ut *Justini* verbis utas, (*Dialog. cum Tryphone*) alium esse DEUM præter universi Creatorem, & solum etiam ministrasse ac subditum fuisse illi cælesti ac supermundano, qui est super omnia, DEO. Demonstrarunt id nostri (Anti-Trinitarii) variis in locis satis luculenter, testimoniis productis, & de quibusdam ex illis, ut *Tertull.* & *Origene*, multi ex adversariis id non diffidentur. Perversa, inquam, sunt hæc prolata. Quod si enim in *Justini* aliorumque ejus temporis Patrum lectione versatus fuisset, ut in his verbis videri voluit, *Crellius*, facile scivisset, eos alibi mentem suam clarius exponere, in locis adductis autem per ministrare nihil aliud intelligere, quam agere à Patre & ab omitti, qui utique alius est quam Filius, non quidem essentialiter, verum personaliter. Sanè neque *Tertullianum* & *Origenem* adversariis firmiter patrocinari ostendit *Bullus* aliique, ut reliqua linquamus. Notabilem *Origenis* de hac materia locum ex *Lib. VIII. contra Celsum* depromptum, allegavit in *Thes. ex Theol. patr.* §. V. prælaudatus *Dn. D. Fechtius*, cujus verba audire placet. Objecerat, ait, *Celsus*, Christianos tam acriter pro unitate DEI contra idola decertare, & tamen interea Christum aequalibus cum DEO honoribus afficere, ad quod *Origenes* respondet. Si *Celsus* intellexisset illud: Ego & Pater unum sumus, & illud in preceptione dictum à Filio DEI: Sicut Ego & Tu unum sumus non putasset, nos etiam alium colere præter DEUM, universorum Dominum. Ait enim: Pater est me, ego in Patre. Bone DEUS! quid clarius est? quàm ineptè



respondisset Origenes, nisi eandem numero Patris & Filii essentiam intellexisset! Plura istiusmodi loca idem attulit in diss. de Origene & Origeniano, Præs. fide B. Meisnero quondam Witteb. proposita, ostensurus, quod istæ duræ loquendi formulæ ab Origene adhibitæ, Arianis nullâ ratione patrocinentur.

§. XII. Interim haud diffitendum, non solum Socinianos & Arianos, sed etiam nominatum paulò ante à Wolzogenio Petavium, Patribus Ante-Nicænis aliam quam par est, in Articulo de SS. Trinitate sententiam, Arianismo nempe faventem; adscribere. Quam absurdè id fecerit Petavius, propria isthuc modo vineta cædens, ostensum fuit in Dissertatione nostra de legitimo S. Scripturarum scrutinio, p. 74, quia scilicet Petavius de Trinitate Lib. III. Cap. XI. §. 9. Opp. Tom. II. in conflictu cum Socinianis ad eosdem Patres, tanquam iudices inter orthodoxam atque socinianam sententiam provocat. Si autem boni isti viri heterodoxiæ in hoc articulo jure accusandi essent, sanè apud eorum tribunal æq. damnarentur Catholici ac Unitarii, prout rectè observat Autor editionis Opp. Petav. anwerp. Anno 1700, (qui est Joh. Clericus, sub Theophili Alethini nomine latitans, notante Dn. D. Mayero, in Ep. de Controv. Anti-Trin. in Anglia) in notis ad citatum modò Petavii locum. Non solus autem inter Pontif. Petavius, verum etiam Episcopus Gallicanus P. D. Huetius, Patribus ante nominatis errores in doctrina de æterna Filii Dei generatione imputat. Bossuetus vero Præsul Meldensis, Jurio ex multis scriptis noto Doctori Calviniano tribuit, quod Patres Ante-Nicenos pro Anti-Trinitariis habeat. Verum ille in representatione Socinianismi Epist. 6. Art. I. p. 226 seqq. (unde excerpta sistunt Acta Erud. Lips. An. 1691. p. 455.) injuriam sibi fieri queritur, & articulo IV, p. 283. sqq. convitia à Bossueto injustè in semet jacta, Petavium & Huetium ferire demonstrat. Idem Petrus Jurinus in Tract. Religio latitudinarii, P. II. c. I. sqq. contra Eliæ Saurini, adversarii sui, accusationem huc spectantem, se defendit, & è contrario ipsum Saurinum illius criminis accusat, de quo ante dictum.

§. XIII. Ut ad Petavium revertamur, Sandius Nucl. Lib. I. circa fin. p. 156, Arianis eum, ob adscriptam Patribus Ante-Nicenis sententiam Arianam, annumerare nullus dubitat. Cum considero, ait, quod Petavius Patres Ante-Nicenos eadem cum Ario docuisse, & traditionibus Articulos fidei probandos esse, dicat, impossibile duco, quin Petavio persuasa fuerit conclusio ex his præmissis infallibiliter sequens, scil. Trinitatem Ariano-

rum

Summe Articulum fidei, additque eum ad vitandas persecutiones mentem non voluisse apertis verbis exprimere. Verum hoc non obstante Autor novæ editionis *Petavii* modo commemoratus, excusare illum omni ratione quærit, urgens inprimis diligentiam *Petavii* in falsitate Arianorum strenuè confutandâ. *Bellu* quoque errorem *Petavii* non ex *crypto-arianismo*, sed perverso Ecclesiæ papali adulandi studio profluxisse existimat; dum nempe causâ Pontificiorum aliquid lucri inde speravit accessurum, si Patribus primorum Seculorum, qui à Lutheranis & Reformatis contra eos haud absque effectu adduci consueverunt, non multum tribuendum esse, hoc modo ostenderet, Conciliisque oecumenicis, (quibus & Tridentinum frivole adjungunt) articulorum fidei condendorum potestatem tribueret. Quicquid interim sit de mente Jesuitæ, certum sanè est, turpiter eum sui oblitum fuisse, cum Patres hos repudiatos iudices causæ suæ exoptaret. *Sandii* tamen relationi in se spectatæ fides nulla debetur, quoniam ille orthodoxis quoque viris, nihil minus cogitantibus, quod omnes Ante-Nicenos Patres Arianismi labe infectos existimaverint, affingere haud fuit veritus. Quo pertinent *D. Abrah. Calovius*, *D. Joh. Conr. Dannhauerius*, *D. Joh. Meisnerus*, & noster *Dn. D. Fechtius*. Verum *B. Calovius* peculiari *Exercitatione* semet defendit. *B. Dannhaueri* sententiam facile cognoscet, qui modo, quæ ipse de *Origene* & *Tertulliano*, suspicionem illâ maximè pressis, sentiat, inspexerit. Ostendit nimirum *B. Vir* in *Christeide* p. 346. ex *Origene*, quod ab eo defensus sit *Dēus Triunus* & *Filius Dei* æterna Deitas. Item p. 365. ex *Tertulliano*, quod loca contineat proasserendo *DEO Trinuno*. Cumque phraseologia hujus interdum dura sit, p. 366. sub finem citatorum addit: *admittimus hic benignas interpretationes phrasum Tertulianarum in hoc mysterio, editas à Pamelio paradox. 31.* Quantâ autem maledicentiâ erga *B. Meisnerum* Præsidem, & *Dn. D. Fechtium*, t. t. Respondentem ejus *Disp.*, ex qua demonstrari debebat prolatum, usus sit impostor, ostendit ultimum allegatus Theologus in *Thesibus patrist.* §. VI. Iis ipsis enim verbis, quæ prolata erant ad liberandum à culpa Arianismi *Origenem*, ad suspectos reddendos cum eo reliquos Patres, abuti tentat. Protulit injustas illas accursationes *Sandius* in *Tract.: Scriptura S. Trinitatis Revelatrix*, sub nomine *Hermani Cingalli* edito, ac repetiit in *Nucleo Hist. Eccl.* p. 143. Verum sufficiant hæc de *Sandio*. Claudemus interim præsen-

præsentem Sect. verbis *Danielus Whitby*, Ecclesiæ Anglicanæ Doctoris jam commemorati, quando in præf. Tract: de vera Christi DEitate adversus *Arii & Socini hæreses*, inter alia inquit: quæ ratio assignari potest, cur hi Christiana fidei hostes jurati (locutus erat de Tryphone, Plinio, Luciano ac Celso) qui sub Hadriano ferè omnes floruerunt, doctrinam hanc iis (Christianis) adscriberent, si ea tunc temporis in Ecclesia nondum obtinuisse? Imò cum hanc ipsissimam doctrinam -- pròridicula habuerint, cur hunc iis scrupulum nunquam eximerent, -- Religionis nostræ Antisites, sed eam animosius defenderent?

Sect. III.

De Sectæ progressu.

§. I. Cum artem fallendi Socinianis quàm optimè cognitam esse, tam ex verbis *Autoris vite Lel. Socini* à nobis adductis, quàm ex iis, quæ mox dicenda sunt, percipere queamus, ante omnia notandum: multos dari hujus sectæ affectas non manifestos & professos, verum occultos. Sic *P. Jurius in Repræs. Socinif.* in cœtibus *Anabaptistarum, Mennonistarum & Remonstrantium* latitare istius fufurris homines, docet, conf. *Act. E. L. an. 1691. p. 454*, idemque affirmat *H. L. Benthem im Holländischen Kirch- und Schuler-Staat cap. 19. § 30. p. 882*, testatus: quod Sociniani in Bataviâ, ob edicta Magistratus iis adversa, unter den *Mennoniten* / auch wohl *Remonstranten* durchgelauffen: addit autem, eosdem interrogatos, facile semet prodere, sequentibus verbis: Doch schâmen sie sich nicht zu sagen / daß sie solche seyn / wann man einen jeden insonderheit fraget. Nam de talibus hominibus verum est proverbium: non omnibus dormio; cum interesse, quod vocant, ipsorum, regulam fidei eorundem professioni ponat.

§. II. Indicavimus jam sub finem cap. I, *Antitrinitarios* hodiè ob infamem Socini famam nomine *Socinianorum* solere appellari, etsi illi, qui appellatione hæc strictè sumptâ gaudent, tales pro membris Ecclesiæ suæ haud agnoscant, neque hi pro Socini filiis agnosci velint; cum revera haud alia inter turbatores Ecclesiæ, qui Reformatores esse volunt, Anti-Trinitarios, detur concordia, quàm quondam inter vulpeculas Simsonis. Sicut enim jam olim à *Sabellianis Ariani*, ab his autem *Photiniani*, haud parum dissentiebant, ceu in Sect. II. observavimus: ita quoque *Socinorum, Leli ac Fausti*, socii in Jesu quidem

quidem nostro deridendo amici eorum fuerunt, alii in punctis capitales sæpè inimici. *Job. Paul. Alciatum*, ut & *Adam. Neuserum* ad Turcas tandem accessisse, refert *D. Calovius* in *Coroll. V. Confid. Theol. Soc. Proximali* adjuncto. Neque obstat, quod in *Bibl. Anti-Trin. Sandii* in vitâ posterioru ex memoratis seductoribus id ipsum reticeatur, in prioris verò per illa quoque, quæ posita sunt, planè videatur negari. Merito enim *Bibliothecam Sand.* perfidiæ hoc in passu, mentione *Neuseri* factâ, accusat *Frid. Spanhemius* in *Elench. Controv. p. 141.* Verba sunt sequentia: *Tacet etiam Sandius, Neuserum defecisse ad Turcismum, circumcidendum Constantinopoli, quod & de Anti-Trinitariis pluribus studio premit, de quorum ad Muhammedismum defectione plura observavit Hottingerus in Hodego P. II.* Alia à Sandio falsa relata ibidem annotat *Spanhemius*, taxans inter cætera, quod prædictum *Neuserum* vocet *Neuserum. Joh. Val. Gentilem*, Bernæ decollatum, *Trinitatem fuisse, tres aternos spiritus, gradu numeroque distinctos, Trinitatem constituere professum, & post semel factam revocationem in eundem iterum errorem prolapsum, ex ipsius verbis referunt Autores. Vid. Spanhem. l. c. p. 138.* Sandius vero *Nucl. H. E. p. 427,* Arianis eundem accenset, dicendo, quod vocem *aterni* non acceperit sensu usitato, sed pro *antemundano* (utique tamen, quod antemundanum est, quia mundus in initio fuit creatus *Gen. I. 1,* veram habere æternitatem, *Conf. Psal. XC. 2,* de jure censendum est ex usu scripturæ) quia constet, eum sensisse, *Patrem fuisse ante Filium, quod Filii absolute æternitati repugnet.* Quidquid sit, sanè non in omnibus ille cum reliquis Arianis consentit; apertè autem Arianis de Filio DEI mentem contra Socinum defendit *Erasm. Johannis*, ut reliquos taceamus. Judicium *Gentilis* adducti de *Blandratâ*, (& sic reliquis Neo-Photinianis) *Sandius Nucl. H. E. p. 120.* exhibet hisce verbis: *Perit, ut qui in Sabellii & Samosatani delirium inciderit. Bernb. Ochinum* polygamix defensores, Scepticum ferè fuisse, ad Arianos tamen in quibusdam procliviores, ex scriptis ejus judicat *l. mox c. D. Calovius. Georg. Blandratam*, a fratre tandem filio, quem hæredem constituerat suum, miserè interfectum, inconstantem fuisse atque eo tandem devenisse, ut vix existimaretur priorem, quam tantopere foverat, de DEO & Christo sententiam retinere, sed potius Jesuitis jam adherere, aut certè cum eis quodammodo colludere, Socinus refert in *Anti-Wuheck. c. 2. T. II. p. 538.* Quid molitus sit *Franciscus Davidis*,

G

in



in carcere mortuus, quidq; Czechovicus, in vitâ Socini audivimus, eademque de re paulo post adhuc nonnulla recurrent.

§ III. Neque existimandum, tantam fuisse auctoritatem Socini, ut professi ejus sectatores, nedum omnes, qui se Trinitatis hostes profiterentur, ejus secuti sint placita, aut etiam hodiè illa strictè sequantur. Audire hâc de re iterum placet Spanhemium p. 145. Postquam enim Socinismum latè ita dictum, *hydrum* vocaverat πολυθεΐσμος, & aliquanto vetustiores Anti-trinitariorum recensuerat dissensiones, ita pergit: *Quæ adeò pugna & discrepantia in Belgio nostro hodiè, viget. Alii enim Trinitismo favent, τὸ ὁμοούσιον Patris, Filii & Spiritus S. negato de Identitate essentia cum Stephano Curcellæo (Arminiano) Alii Socino per omnia adherent; alii non nisi in capite de Trinitate & Divinitate Filii, in altero de satisfactione facili consensuri, ut de se Dan. Zwickerus in Iren. Irenic. profectur. Alii Arianismum renovant, ut Sandius, additurus commentum de Spiritu S. post Bidellum, ac relicturus post se hodiè, Nepotes. Ad illustrandum istud de Curcellæo prolatum conferri poterit C. Sagittarii Introd. in Hist. Eccl. p. 853, ubi sequentia profert: A Semi-Arianorum sectâ non multum discrepant Sim. Episcopus & Steph. Curcellæus, eorumq; in Belgio sectatores, qui Filium non eandem cum Patre, sed similem vel ejusdem speciei essentiam habere dicunt, nisi quod ex essentia Dei Patris etiam genitum esse fatentur Filium, quod olim non ausi sunt sateri Semi-Ariani. Quod ad Zwickerum spectat, ille à Frider. Sylvio in Dissert. Epist. ad eundem, Sociniana de Personâ Christi sententia promachus vocatur. Vid. Sand. Bibl. p. 156. Verum qualem cum Socinianis reliquis foverit harmoniam, ex hypothese memoratâ, quam quoque M. Bauvignario in Transylvaniâ tribuit B. Seherzerus Coll. Anti-Soc. p. 438, nec non ex scriptis ejus contrâ Andr. Willowatum, Val. Smalcium &c. confectis, patet. Vid. quoq; tractatus: Ultima Tuba s. admonitio ad omnes sectas, videlicet Catholicos, Græcos, Lutheranos, Reformatos, Remonstrantes, Enthusiastas dictos Quakeros, Mennonitas, seu Fratres Polonos; quod debeant doctrinam & vitam suam emendare, si velint salvari. Conf. hic potest Arnold. K. und R. Hist. P. II. L. 17. c. 13. §. 19. 20. Sæpè nominatus Sandius magnum sibi nomen Arianismi defensione comparavit. Verum in Problem. paradoxo de Spiritu S. à B. J. Chr. S. homero accuratè refutato, specificam saltem unitatem Spiritui S. tribuit, intelligendo chorum plurium sanctorum Angelorum. Videatur in compendio Theologus mox citatus Coll. recent. contr. c. 4. §. 9. 10.*

§.9. 10. Ante mortem quidem Arminianis se addixisse refertur à Benthemio im Holländischen Kirchen und Schulen-Staat p. 903. & God. Arnoldo in der Kirchen und Reher. Historie P. II. l. 17. c. 13. §. 25; sed procul dubio salvis erroribus Arianis. Job. Bidellus autem ita differt à Sandio, ut teste ipsa Bibl. Anti-Trin. p. 159, fuerit Socino serè homodoxus, excepto quod Spiritum S. Personam, ac velut Principem quendam Angelorum putaverit. Jerem. Felbingerum inter Socinianos communiter referri, notum est. Vid. Job. Fabricius Confid. Controv. p. 197. Verum quod hypothese Arianæ constanter manserit addictus, supra nos edocuit Benthemius. Sam. Przypcovii Opera ipsi Bibliotheca Socinianorum (quæ Fratrum Polon. vocatur) adjuncta sunt. Ast quantum suorum odium, ob controversias de Personâ Christi & magistratu motas, incurre-rit, pari modo superius indicatum est. Statuit autem Przypcovius, Christum propriè & sine figurâ DEI Filium esse ex essentiâ Patris natum. Interim non melius sensisse, sed subtilius modo errasse quam cæteri Sociniani, dicendus est. Divinam enim quidem naturam æque ac hu-manam in Christo agnoscit; sed illam succedere humana sibi persuadet, quæ verba sunt in A. E. L. an. 1692. p. 422. reperiunda, parique modo æternitatem regni Christi, refutatâ explicatione loci 1. Cor. XV, 24. Sociniani consveta, defendit. Vid. ibid. p. 419. Neque Przypcovius solum de Magistratu contentionis ferram cum suis reciprocavit: verum & in Jonæ Slichtingii Operibus, in Bibl. Socinianorum, ceu c. 1. §. 2. annotavimus, suum occupantibus locum, ea quæ hic contra Wolzogenium de hac & cognatis materiis scripsit, additis suo loco in eâdem Bibl. illis, quæ Wolzogenius reposuit, reperimus. Wolzo-genius nempe Dan. Brenii librum de qualitate Regni Christi, Episcopii sententiæ de munere Magistratus à Christianis gerendo oppositum, am-plificaverat; tum tres secutæ sunt in contrarium Jon. Slichtingii qua-siones, ad quas ille reposuit Annotationes. Cum autem Slichtingius Annotationibus illis suas iterum objecisset Annotationes, demum secuta est Responsio Wolzogenii ad Jon. Slichtingii Annotationes in Annota-tiones de Bello, Magistratu & privatâ defensione. De Spiritu S. Crellium no-vam protulisse opinionem, quod nempe nihil aliud sit, quam qualitas intermedia inter virtutem DEI & facultates in homine excitatas, locis ejus citatis asserit D. Calovius Socin. profl. p. 221. Conf. etiam p. 21. Satis hinc patet, neque inter Anti-Trinitarios, neque Socini assecclas dari consensum.

§. IV. Cùm nunc instituti ratio postulet, sectæ Socinianæ propagationem brevibus considerare, percommode id fiet, si ratione terrarum, ubi vel vixerunt vel vivunt Socin., propositum effectui sumus daturi. Initium meritò facimus à Poloniâ, ubi *Faustus Socinus* matrimonium iniit vitamque suam finivit, & de qua *Autor Vita Wiffowatii* apud *Sand.* p. 226. gloriatur, quod ibi quondam religio Sociniana sedem ac domicilium fixerit, aliisque ob eadem sacra profugia tutum præbuerit asylum. Interim jam patuit ex vitâ Socini, non primum erroris Anti-Trinitarii in Poloniâ autorem fuisse *Faustum* illum. *Lalius* enim jam an. 1551, & deinde A. 1558. eò profectus, *Francisc. Lismanino* (qui phrenesi correptus in puteo tandem suffocatus est) & aliis quædam contrâ receptas sententias instillaverat, asserente *Andr. Wiffowatio* apud *Sandium* p. 210. Quod etiam Belga quidam, qui *Spiritus* nominatur ab *Andr. Fricio Modrevio Sylv. lib. 1. tract. 2.* & *Adam. Pastor* (vel *Pastoris*) fuisse existimatur in *Append. Narrat. Wiffowatii* subjuncta p. 217, (Illum autem *Adamum* Anabaptistas secutum, à *Mennone* & reliquis ob impugnatam æternam Christi Deitatem excommunicatum, sectatores non paucos, sub Anabaptistarum nomine latentes, habuisse, ex *Bullingero l. 3. contrâ Anabapt.* refert *Sandius* in *Bibl. Anti-Trinit. p. 38*) Cracoviæ 1546. impium de SS. Trinitate cum amicis habuerit inter convivandum colloquium, ac nonnullis, inter quos fuit ipse *Fricius*, scrupulum injecerit, ultimo nominatus *Autor* refert in *lib. Sylv.*, in quibus & de controversiis circa SS. Trinitatem egit. Qui autem Anti-Trinitariorum tunc castra in Poloniâ sequebantur, ex eâ ratione, quia sub *Nic. Olesnicii*, oppidi *Pinczow*. Domini patrocínio degebant, (ex quibus *Lismaninum*, *Statorium* Gallum, *Georg. Blandratum* Italum, & *Job. à Lasco* Polonum nominat *Wiffowatius* apud *Sand.* p. 211, & ex quorum conversatione dogma illud se didicisse fatetur *G. Schomannus* in *Testamento Bibl. Sandii* subjuncto p. 193.) *Pinczovii* sunt appellati. Sub initium hi homines mentem suam apertè non exposuerunt, verùm ita dissimularunt, ut majores an baretici an tergiversatores fuerint, dubium videatur, dicente *Hoornbeekio summ. Controv. p. 565*, qui exemplum adducit *Petri Statorii* & *G. Blandrate*. Verba Confessionis in Synodo *Pinczovjensi* ann. 1561. ab ultimò editæ, sunt sequentia: Fateor tres esse distinctas vñitates, & æternam Christi Divinitatem & Generationem, & Spiritum S. verum & æternum DEum

ab utroque procedentem. Conf. etiam *God. Arnoldus Kircken-und Reher-
Historie* P. II. l. 16. c. 33. §. 11, ubi ad *Regenvolscium* provocat. Sed
quænam mens eorum fuerit, exitus probavit. De *Lismanino* addit
Hoornbeekius, quod falsus sit, se non adeo *Doctrinam fidei*, quam verba
Scholastica Trinitatis &c. accusare. Primus ergo, qui SS. Trinitatis dogma
palam in Polonia oppugnare coepit, fuit *Petr. Gonesius* teste *Sand.* in
Bibl. p. 41, nempe in *Synodo Seceminiensi* An. 1556, defensâ cum Ario
Christi ante Mariam existentia. Vivebant tamen adhuc postea
sub *Reformatorum* nomine Anti-Trinitarii, donec *Greg. Pauli* ferocia
suâ rupturæ publicæ daret occasionem. Circâ annum enim 1562.
audax ille seductor, cum *Cracoviae* inter Reformatos Ecclesiasten a-
geret, contra SS. Trinitatis dogma concionari coepit. Tum verò
a *Stanisl. Sarnicio* perfidiæ Anti-Trinitariæ accusatus est, atque sic
ministerii sui functione privatus, allaborante eo apud Ecclesiarum
Patronos *Sarnicio*, ut & cœteri ejus furfuris concionatores ab officio
removerentur. Refert tamen in *Testam. suo Bibl. Anti-Trin.* adjuncto
p. 194. *G. Schomannus*, quod a. 1561, cum minister esset Ecclesiæ in *Xianz*,
doinus loci illius semet jussit ob *Trinitatem* expelli. Objicit exinde
Wissowatius Sarnicio, quod hanc in metropoli Ecclesiæ administrationem invi-
derit *G. Pauli*, imo & quod fuerit *Schisma moliens*. Verum nescio sa-
nè, an hic iusta adsit invidiam *Sarnicio* objiciendi causa, dum in a-
prico positum est, vel Judice ipso *Wissowatio, Gregorium*, qui DEUM
impugnare Trinunum gestiebat, non secus ac Anti-Trinitarium
hæreticum potuisse à *Sarnicio* vi hypothesium suarum tractari. Mul-
to minus verò *schismatis* autor vocari poterit, qui homines ab Ec-
clesiâ dudum damnatos, in communione suâ tolerare non vult,
imo nequit. *Schomannus* l. c. recenset, quod Ann. 1563 missus ad Co-
mitia *Petricoviensia*, à *Sarnicio* fuerit infamatus de *Arianismo*, ubi (quæ
verba ejus sunt) à nobis palam secessum fecerunt. Addit, quod ann. 1564.
Warsaviae semet inter ac *Philippovium* ex unâ, atque *Sarnicium* ex al-
terâ parte, Colloquium institutum sit; sed *Sarnicius*, pergit, cum suâ
parte DEUM Trinum, nos DEUM unum Patrem professi, discessimus. Simile
quid refert de *Disputatione* an. 1565. *Petricoviae* institutâ. Equidem
Greg. ille Pauli an. 1565. in conventu *Petricoviensi* unâ cum
suis Sociis, ex quibus *Wissowatius* apud *Sand.* p. 212. nominat. *Stan.*
Lutomirscium ejusque fratrem *Johannem*, nec non *Nic. Sienicium* atq;
Johan. Niemojovium, postulato amico colloquio, concordiam cum re-

liquis Reformatis iterum inire tentavit; verum cum sententiæ suæ firmiter unâ cum illis inhæreret, à Reformatis conclusum est, sermones de hisce controversiis non amplius cum istis habendos. Rectè sanè & conformiter dicto Pauli Tit. III, 10: *hereticum hominem post unam ac alteram admonitionem repelle*. Nam sicut gangrena impia serpit doctrina, & pessima ejusmodi tolerantia simplicioribus ansam præbet in damnabiles incidere hæreses, eo ipso, quia rationi blandiuntur, speciosas. Anno 1566 Schomannus semet quidem iterum cum aliis ad Comitia Lublinum ivisse narrat, verum ex urbe illa cum suis cedere coactum fuisse, & ab eo tempore, pergit, nos à Comitibus abstinuimus. Circà annum 1567. Wisnowatius apud Sand. p. 213. mentionem facit Stanisl. Farnovii, seu Farnesii, qui ab aliis Unitariis, ceu loquitur, schisma fecit, Arianismum, ut antea Gonesius, defendendo, cujus tamen Sectatores post ipsius obitum, partim ad alios Unitarios, partim autem ad Calvinianos sint delapsi. Edita sunt Acta Colloquii Scrynicensis Ann. 1567. inter istos dissidentes habiti à Stanisl. Cicovio, in quo (juxta Sand. Bibl. p. 49) ex Neo-Arianorum parte præter Farnovium Collocutores fuere Job. Cazanovius, Job. Niemojovius, Nic. Zytno, Job. Falconius, Mart. Czechovicus, Dan. Bilinius, adjunctis ceu scribis Laur. Criscovio & Thom. Swiechovio, ex quibus tamen circà an. 70. Czechovicus & Niemojovius ad alteram partem cum aliis accesserunt (juxta p. 49) Præter hos adhuc Stan. Wisnowii, tanquam sectatoris Farnovii, mentionem facit Sandius p. 53. Verum neque postea defuerunt opinioni Arianae addicti, quos inter fuit *Erasm. Joannis* jam aliquoties nominatus, Scholæ quondam Antverp. Rector, qui, cum conatibus ejus resisteret Princeps Auriacus, in Poloniam se contulit, ubi cum Socino de suâ sententia disputavit, & factus est Claudiopoli in Transylv. Pastor Unitariorum eâ conditione, ne sententiam suam Arianam pro concione proponeret, juxta Sandii Bibl. p. 87. Namque Farnovianos communionem suâ non arcebant, imo ad eam invitabant reliqui Unitarii, teste Autore *Epistola de vitâ Wisnow. l. c. p. 226*. Luclaviciano verò cœtu cum Patrono suo reliquis Unitariis semet associante, homines illos Ducibus destitutos, plerosque etiam eodem reversos esse, idem testatur p. 227. Memorabilis est Schomanni sæpè citati de diffidiis Anti-Trinitariorum relatio, quandò recenset apud Sandium p. 195, quod Racoviam (à quo oppido Racoviensium nomen traxere Unitarii) circà Ann. 1569, multi convenerint ad sententias conferendas, sed

sed isthoc eventu, quem verba *Schomanni* sequentia docebunt. *Synodus*, ait, duravit aliquot annos, & desit in gravissima diffidia, quae patefecerunt, alios alii *Phariseos*, alios *Saduceos*, alios *Judeos*, alios *Atheos*, quod dolendum est, vocantes, & eo devenerat, ut omnes ferè excepto *Mart. Czechovicio*, *Ministerium Verbi* deposuerimus, quam rem secuta est propè ruina omnium rerum. Addit tamen, quod *Simon Pharmacopaeus* res collapsas reficere quæsierit, *Ministerio* ibidem erecto. Quantopere *Sim. Budneus*, sectæ illorum, qui Christum divino honore colendum negarunt, in *Pol.* primarius fautor teste *Sand. p. 54*, cujus homodoxi erant *Stan. Budzintius*, *Franc. Davidis*, *Job. Somerus*, *Jac. Paleologus*, *Matth. Glirius* &c. (de quibus conferri potest *Sandii Bibl. l. c. seqq.*) turbaverit castra Unitariorum, refert Autor *Vitæ Wiffow. p. 226*, subjungens mox, quod illi homines, multis ad meliorem, ceu vocat, frugem redeuntibus cum hyperaspista suo tenues abierint in auras. *Budneus* enim cum asseclis excommunicatus est à cæteris Unitariis, & ipse à *Ministerio* depositus an. 1584, imo tandem opinionem suam retractasse perhibetur *l. c. p. 54*. *Czechovicus* quoque, licet schisma quondam ab iis, qui cum *Socino* sentiebant, molitus fuisse dicatur in *vit. Wiffow. p. 227*, tempore mortis tamen (si scripto mox adducto fides habenda) suos monuit, ut in Unitariorum reliquorum societate, quietè ac modeste se gerentes, perseverarent.

§. V. Hæc ergò ratione victoriam ita inter suos obtinuit *Socinus*, ut in ipsius sententiâ plurimi Anti-Trinitarii, qui paulo ante eundem in communionem suam recipere nolebant, (vid. *Cap. II. Sect. I. § 6.*) jam pedibus irent, recteq; observat *D. Calvinus Coroll. V. Theol. Soc. proem.* subjuncto, distingvendum esse inter *Socinismi initium & complementum*. Hoc enim accedente *Socinus* primatum fuit nactus. Atq; nunc Religio vel potius impietas *Sociniana*, superaris, ceu loquitur *vitæ Wiffow. autor p. 227*, pacatæque domi rebus, è parvis scintillis in magnam jam erumpebat flammam, & quaquaversum serpebat-cunctis caput opponere ausa eratq; tempus illud viris ac armis spiritualibus, (utinam non perversis) scriptis nempe, quæ totum jam pervaserant orbem, exercitissimum. Quod si nominatim præcipuos sectæ illius in *Poloniâ* asseclas cognoscere placeat, eos pariter exhibitos reperimus *p. 227*, nempe 3. *Lubienietis*, 3. *Stoinios*, *Smalcium*, *Lucinium*, *Calissium*, *Nietecium*, *Tharadoblebium*, *Moscoropium*, *Goslaviu*, *Radecios*, *Christoph. & Dan. Rudnicios*, *Ostrodos*, *Vaidovios*, *Volkelium*, *Pistorium*, *Pisecium*, *Crellium*, *Prypsa-*

Prypcovium, Rypnovium, Slichtingium, Stegmannos, Gietichium Venetianum, Prætorium Lebocki, Rynievicis aliosque. Qui autem nobilium isti fidei addictorum audire vult nomina, adeat *Lubieniecium* in *Vindiciis* apud *Sand. p. 281. seq.* Maximum conatibus hominum illorum adjumentum præbuit erectum à *Jac. Sieninio Racoviae*, cujus Toparcha erat, circa ann. 1602, artium liberalium Gymnasium, (Rectores Præceptoresque ejus recensentur *ibid. p. 229.*) tantum brevi florem adeptum, ut ad millenarium plerumque pertingeret numerus informandorum, inter quos Evangelicorum etiam atque Pontificiorum quorundam nobilium liberi fuisse traduntur. Pertinet huc quodammodo, quod Palatinus Lublinensis, Pontificiæ Religioni addictus, filium suum natu maximum informandum tradiderit *Wissowatio* sæpè nominato strenuo Socin., qui postea, depositâ spartâ illâ, itinere in Bataviam, Angliam atque Galliam instituto, religionem suam aliis instillare, atque publicè in Academiis proponere ausus est. Ast non diuturnum fuit præcox illud ex flore Gymnasii Racoviani ortum gaudium. An. nimir. 1638. Templum, Gymnasium atque Typographia, decreto Waraviae in Regni Comitibus factò, Socinianis sunt erepta, Pastoribus, Professoribus ac Præceptoribus infamia notatis proscriptisque. Occasio rei fuit *Studioforum* quorundam protervitas, qui lineam Crucifixi imaginem extra oppidum sitam lapidibus fregere, ceu loquitur *Autor vite Wissowatii p. 233*, quo factò Doctores Socin. tanquam perpetrati facinorosi Autores sunt habiti. Accensent alii causis infortunii Socin. librum blasphemum sub titulo: *tormentum Trinitatem ex Throno expellens*. Uno tamen actu illo Socinianismus ex integrâ Poloniâ haud fuit relegatus, quia adhuc an. 1639. *Wissowatius*, nondum Ecclesiastes, jure privilegii Equestris ad Comitibus Waraviensia se contulit, & tam cum Romano-Catholicis, quam Evangelicis de Religione disceptare ausus fuit. Interim An. 1644. Templum Kissilinenſe, & vicinum Brestense everſum est, *Georg. Czaplicio Kisselini Domino* accusato, quod blasphemias Arianas Racovia Kisselinum transferre Ministrosque ac Præceptores Racovienses proscriptos ac infames apud se fovere auderet, graviterque propterea multato, quin & exercitio religionis Czaplicii in ditionibus ipsorum interdicto; quamvis *Wissowatius* nihilominus ibi spretis omnibus periculis, munia sua (erat enim tunc constitutus ibi Ecclesiastes) obiisse l. c. ac in post sequentibus referatur. E-

didit

didit interea *Jon. Slichtingius* Confessionem suam, sed illa *Warsavia* per carnificem igni tradita, autorq; ejus cum infamia proscriptus fuit. Demortuo *Vladislao* Rege, *Cosacci* Poloniam invadentes, erga *Socinianos* præprimis crudeles semet religionis ergò exhibuerunt, ita ut *Wissowatius*, *Lublinensi* terrâ, in quâ interim Pastor constitutus erat, ad tempus relictâ, in *Borussiam* non procul à celeberrimâ *Gedanensium* Republ., *Straßinium* nempe, *Pauli Ivanicii prædium*, ubi etiam *Ruarus* tanquam Ecclesiastes *Socinianus* degebat, se contulerit, quamvis tumultibus in Regno cessantibus, eodem sit reversus an. 1639, suorumque jussu Pastorem *Racovianorum* incolarum, qui in loco vicino *Radaflow* tunc congregabantur, egerit, donec demortuâ loci Patronâ illud quoque templum *Socinianis* adimeretur. An. 1655, cum Rex *Sveciæ Carolus Gustavus* integram ferè Poloniam occupasset, turba rusticorum prædatrix à Sacrificulis incitata, *Arianorum* bona invasit domusque diruit. Quo facto multi ex illis fugâ salutem quærentes, cum vicinas terras, *Silesiam* & *Hungariam* petere ob prædones securum non esset, *Cracoviam* se contulerunt, libertatemque religionem suam exercendi à Gubernatore t. t. *Sveco* nacti, conventibus institutis scripturam suo modo explicare aggressi sunt, quorum ope *Slichtingius* (interea reversus) magnam partem *Commentariorum* suorum confecit. Sed occupatâ in quartâ obsidione à *Polonis* iterum an. 1657. *Cracoviâ*, *Sociniani* quidem ad loca pristina reversi sunt, verum anno sequente in *Comitiis* regni adversarii ita contra eos insurrexerunt, ut congregatio, quæ centum annis in illo regno habuit domicilium, prorsus inde extirpata sit, dicente Autore *vica Wissoz. l. c. p. 248*, ubi Regis *Johannis Casimiri* edictum contra *Socinianos* verbotenus affertur, unde sequentia lubet excerpere: *Si quis talis inventus fuerit, qui sectam hanc Arianam in Dominiis nostris, cum Regni, tum Magni Ducatus Lithuanie, & Provinciis eis annexis, ausus fuerit profiteri, spargere vel prædicare, -- sine ullâ dilatione per Capitaneos, (ita vulgò dicuntur Satrapæ) nostros & officia eorum, pænâ capitis affici debet, sub privatione Capitaneatus.* Concessum tamen iis, qui abire vellent, ad vendenda bona sua, in his *Comitiis* trium, in illis quæ 1659. celebrata sunt, duorum (conf. *App. Hist. Reform. Pol. Lubie- nicii p. 294*) annorum spatium, prohibito interea religionis exercitio. Hoc facto magna eorum pars vel ad Pontificios, vel *Calvinianos* accessit. Ante discessum indictum, in ædibus Castellani

H

Job.



Job. Wielopolski colloquium institutum est, *Wissowatium* inter ex una & Pontificios ex alterâ parte. Magnoperè de *Wissowatio* gloriatur Autor Vitæ ejus. Sed cum hoc ipsum talibus hominibus in more positum sit, non opus erit gloriationes illas attendere. Pertinet huc, quando humanitatem Castellani ergà *Wissow.* nequicquam, ut ait, invidentibus frementibusq;, qui cum antehac persequabantur, sacerdotibus; magnoperè deprædicat Autor iste. Verum statim annotat p. 253, eo spectasse humanitatem Castellani, ut *Wissowatium* ad suas pertraheret partes, quod sanè si factum esset, persecutio sacerdotum, ex religionis causa orta, per se cessasset. Cum discessus terminus an. 1660. d. 10. Julii adveniret, unusquisq;, quorsum id commodissimè fieri putabat, se recepit. Pars Borussia, pars Marchiam Brandeburgicam, Silesiam alii, alii deniq;, Transylvaniam Hungariamq; petiere, ex quibus ultimi circiter 500. statim omnibus bonis suis à militibus sunt spoliati, referente eodem vitæ autore p. 255. Atq; ab eo tempore non nisi pauci clam remanserunt in Poloniâ religioni Socinianæ dediti, imprimis duæ quædam ac orphani, nec non quorundâ aliis religionibus jam deditorum uxores Socin. Unde *Wissowatium* hyeme adventante, iterumq; digressus, per anni sequentis hyemem in Patriâ remeavit, relictos eos instruendi erigendiq; animo. Verum non amplius spes affulgebat aliquid pro conservanda religione suâ in Poloniâ efficiendi, cum viri uxorum Socinianarum graviter punirentur, atq; remanentes ad castra Pontificiorum deducerentur. Quod autem non hic quoq; adhuc lateant aliqui ejus fursuris homines, haud asserimus. Qui latius de Socinianorum in Poloniâ rebus informari cupit, adire poterit Stan. Lubieniecki libros 3. *Historia Reformationis Polonica* cum appendice, ubi de iis ex professo tractatur.

§. VI. Viso Socinianorum in Poloniâ fato, ad Transylvaniam pergimus, ubi sedem omnium firmissimam hactenus invenit damnable illa hæresis. In vulgus notum est colloquium, *Albae Juliae* per 10. dies inter D. Georg. Blandratam, Franc. Davidi aliosq; ex una, & D. Petrum Melium aliosq; Pastores Ministrosq; Ecclesie DEI Catholicae ex Hungaria & Transylvaniâ (sicut vocantur in Rubro editionis *Claudiopoli* impressæ an. 1568) ex alterâ parte institutum. Autor Colloqvii fuit *Johannes Sigismundus*, *Johannis Scepusti* Regis Hungarie Electi filius Transylvaniæ Princeps, qui, ceu in clausula memoratae Disputationis refertur, cum finem jussisset Colloquio impone-

re,

te, significavit: *Majestatem suam Sereniss. DEO O. M. volente, aliter hac de re cogitaturam, quo & Ecclesia tranquillitas permanere, & veritas ipsa Doctrinae clarius elucescere possit: interim tamen orare se serioque committere, ut neutra pars alteram convitiis neque publice neque privatim prosciindat -- Ceterum se quoque ultro etiam disputandi, conveniendi, modestè impugandi cuilibet provinciam concedere: suam enim Majestatem Regnum suum liberum esse velle.* *Wissowatius in narrat. compend. l. c. p. 213, mentione colloqvii istius facta, de Principe modo nominato dicit: Approbavit eorum sententiam, qui -- in eâ regione Unitarii nominantur, & gaudent sua religionis libertate ab isto Principe firmata. Conf. Spanhem. l. c. Autor Vitae Wissowatii p. 256. de hoc viro refert, quod illi jam exuli Transylvania placuerit, quæ religionis, cui ipse addictus erat, præ cæteris regionibus libertate florebat. Cumq; statim post adjunxisset, Principes terræ illius juramento à tempore Johannis Sigismundi confirmare solere, quod Reformationum, Unitariorum, Lutheranorum ac Pontificiorum religionem in libertate consuetâ velint conservare, pergit: Ex his Unitariis, Claudiopoli, (cujus Civitatis Athenæiq; gubernacula tenent) atque in Siculorum Comitatu imprimis eminent. Qui conscripsit Vindicias Unitar. apud eundem Sandium p. 268, præter Claudiopolin nominat Thordam, & sequentia adjungit verba: Habent (Unitarii) in Transylvaniâ & Siculiâ plures quam 100. Ecclesias. Quod in Hungariâ quoque Transylvania vicinâ pestis Sociniana locum invenerit, paucis percipiemus, si audire placet verba Autoris Vitae Wissow. p. 256, ubi, in ipsa quoque, ait, Hungariâ, præsertim in Barovienfi Comitatu haud paucas numerant Ecclesias. Ex autoribus citatis circiter 15. earum numerat G. Arnoldus in der Ritz- und Reher. Historie P. II. l. 17. c. 13. §. 8.*

§. VII. Nunc in Angliam, uberrimo sectarum proventu notissimam terram, ceu videre est ex Honorii Reggii (qui est Georg. Hornius) libro de statu Ecclesiar. Britann., tendimus. DN. Frid. Ern. Kettnerus in diss. de Unitariis hujus Seculi An. 1694. Lipsi. habita, cum de Anglia ageret & ex Josepho Hallo in Irenico sect. 23. protulisset, deplorare illum statum ecclesiæ Anglicanæ, utpote quæ per infernalem Socin. heresin magnopere angatur, paucaque de Antierinariis commemorasset, seq. adjecit: *Si qui sint, qui plures norint, poterunt eos nobis communicare.* Haud ingratum itaque erit, in amœnissimam hanc insulam aliquantum excurrere. Non detinebimus nos in considerandâ gloriationis Socinianorum, quod Anglorum Ecclesiam ha-

beant consentientem, vanitate, quam detexit *Petr. Jurius* in *Tract. de Naturâ & Gratiâ* circa finem, nec non in *Repræsentatione Socinianismi* Ep. 5, p. 209. seqq. (vid. *Alt. Er. Lips. an. 1688. p. 602. & an. 91. p. 454.*) quia contrarium testantur *Bulli, Whistby, Gardineri* tractatus ante citati. Quanquam hic observandum, quod *H. L. Bentheim* im *Engelländischen Kirchen- und Schulen-Staat* c. 6. § 4. p. 76, annotet, quosdam ex Clero Anglicano, hodierno Arminianismo faventes, haud procul abesse à Socinianismo. Verba ejus, postquam dixerat, quosdam Anglorum quidem synodo Dordracenæ ex Jacobi I. Regis voluntate subscripsisse; verum Ecclesiam Anglicanam nostris temporibus Canones Dordracenos non recipere, sunt sequentia: Dahero man die meisten Bischöffe findet des Arminii Meinung in den 5. Articulis beygethan zu seyn / wiewohl auch nicht gar selten einige mit dem Episcopo und den heutigen Arminianern / den Socinianern nahe treten. Interim idem *Bentheimius* in *præfat.*, ubi peregrinationem in Angliam commendaverat, cum §. 8. sibi ipsi objectionem formasset: Angliam apud quosdam Socinianismi suspectam esse; inter alia regerit, non posse hoc dubium, quicquid sit de nonnullis impostoribus ibi reperiundis, aliquem jure detertere: quoniam non liceat doctrinas ejusmodi in modo laudatâ Regione publicè proferre, neque Sociniani majora ibi, quàm alibi locorum, habeant privilegia. Haud gravabimur, verba ipsius apponere, quando ait: Zu dem thut man auch denen Engelländern Unrecht / wenn man meint / die Socinianer hätten daselbst grössere Privilegien / als anderswo. Es gibt zwar einige unter ihnen / und haben sich wohl etliche dessen verdächtig gemacht / die sonst vor gute Churhmen (i. e. Viris Ecclesiæ) wollen angesehen seyn; allein öffentlich dürfen sie solche Meinung nicht lehren / und werden / so es offenbahr wird / nicht gelitten. Quantâ verò in impediendo Socinianismi progressu curâ utantur Angli, hisce porro verbis exprimit: Es ist unter andern im Jahr 1640. auffm Synodo zu Londen ein Canon gemacht / worinn bey Straffe der Excommunication, Socinianische Bücher in Engeland zu bringen / zu verkauffen / oder zu drucken verboten worden ist. Ueberdem ist auch allen Studenten und anderen Ordens-Leuten / (die Graduati in Theologia, wie auch dieselige / welche eine Episcopalische oder Archidiaconalische Jurisdiction haben / ausgenommen) verboten / in solchen Büchern zu lesen / welche Bücher auch sollen verbrandt werden. Recentius adhuc

Par-

Parlamenti Inferioris membra apud Regem *Wilhelmum* glor. memoriae de editis nihilominus in Regno Angliæ scriptis ejus generis impiis conqvesta sunt, justam erga autores illos vindictâ postulantia; quo sine etiam An. 1697. edictum, certam talibus pœnam interminans, à Rege promulgatum fuit, prout legi potest in *Dn. D. Mayeri Epist. de Controv. Anti-Trinitar. in Angliâ recens agitatâ*. item in *G. Arnoldi Kirck- und Ketzer- Hist. P. II. l. 17. c. 13. §. 10*, qui etiam addit ex *Theatro Europ. Tom. V. p. 1209*, quod an. 1646. in Parlamento decretum contra Socinianos & Atheos conjunctim factum sit, capitis pœnam illis dictitans. Statim post idem incarcerationis *Bidelli* jussu Parlamenti an. 1655. factâ, mentionem facit. Non obstante nimirû cura adhibita, certum est teste ipsa Parlamenti qverelâ, damnabilem Socini doctrinam altas, proh dolor! licet occultas in Angliâ egisse radices, quâ de re quoq; videri potest *Eduardus in Præfat. Præservativi* (cujus excerpta sistunt *A. E. L. an. 1694. p. 472.*) in quâ de ingenti Socinianorum scriptorum per Angliam dispersorum numero qveritur, ut hic fere locum habeat illud, quod olim mundus miratus sit, subito se factum Arianum Nomina, Autorum damnabilem doctrinam scriptis disseminantium, vix apposita reperiuntur, nisi *Scet 2 §. 10.* nominati *Stephani Clarck*, ut & *Job. Toland*, cujus liber *Christianismus mysteriorum expers* primum *ἀνορύμωτος*, deinde an. 1696. adjuncto ejus nomine editus est. Idem confecit librum sub titulo: *Amyntor*, ad certitudinem Canonis N. T. infringendam, cui oppositam esse in Angliâ *Vindicationem Canonis N. T.* à quodam *Nycum* vocato, ex *Basnagii Hist. Oper. Eruditorum*, refert *Dn. D. Mayerus l. c.* Originem Anti-Trinitariæ opinionis in Anglia reperiundâ, repetere possumus à tempore Concilii Sirmiensis Sec. IV, quâ de re conferri potest *Stillingfleet Orig. Britann. (de quibus vid. Act. Er. L. an. 1688. p. 29.) cap. 4.* Refert enim laudatus Vir, Episcopos Britannicos illi quidem Concilio subscribere coactos fuisse, verum deinde procul dubio, non secus, ac de aliis Episcopis, tempore *Constantii* ab Arianis pressis, constat, Nicenam fidem iterum publicâ professione amplexos esse; cum *Athanasius* ad *Jovian. Augustum* scribens, nec non *Hieronymus* ac *Chrysostomus* Britannicarum Ecclesiarum cum reliquis harmoniam asserant. Ex recentioribus *Raphael Ritterus Londinensis Anglus D.* edidit Tract. *Brevis demonstratio, quod Christus non sit ipse DEUS qui Pater, nec ei equalis. Quem Wigandus refuta-*



vit libro: *Nebula Ariana* an. 1575, in quo Ritteri tractatus totus continetur, eundem cum Socino consensisse demonstrans. Vid. Sand. p. 85. Circa medium seculi præterlapsi doctrinæ Socinianæ semina ibi sparsit Job. Bidellus, Artium Magister in Universitate Oxoniensi, qui cum Socino ferè consensit, excepto quod Spiritum S. Personam, ac velut Principem quendam Angelorum esse putaverit, referente Sandio in *Bibl. Anti-Trin.* p. 159, idque factum tempore Cromwelli, quo gubernante in Angliâ tot hæreses sunt disseminatæ. Conf. *Brevi Historia Socin.* adjuncta Guil. Nichols *Responsio ad D. Bury Evangel. nudum*, anglicè edita Londini an. 1691. non procul à fine; in specie autem de Bidello, Dn. D. Mayerus in peculiari *Dissert.*, quæ illius vitam, sententiam, nec non scripta edita recenset. Refert ibi inter alia, hominem illum non in carcere, in quem primo à Cromwellio fuerat conjectus, sicut existimat Sandius *Bibl.* p. 159, sed in illo, cui Carolo II regnante mancipatus erat, eum à Cromwellio fuisset iterum dimissus, diem obiisse. Refutavit Bidellum Job. Cloppenburgius, editis *vindictis pro Deitate Spiritus S.* Ab eo tempore alia quoque in Anglia scripta, ad Socinianismum promovendum facientia, dispersa fuere, v. gr. *Duodecim columnæ infernalium tormentorum projectæ*, quæ occasionem dedere D. Hammondo conscribendi itidem Anglicè tractatum de *Tormentis infernalibus*, juxta Guil. Nichols l. c. Bidellum præter alios, à nomine ipsius teste Sandio l. c. Bidellianos dictos, secutus est Thom. Firmin, Mercator quondam Londinensis, qui castris Remonstrantium relictis, Bidelli errores assumpsit, & variis scriptis circa annum 1690 editis, pro virili propugnavit. Mortuus autem est ille an. 1697, ejusque vita descripta à quodam amicorum an. 1698. Istius nempe impensis atque ope prodierunt tres collectiones scriptorum Socinianorum 1691. 93 & 94 editorum, quorum titulos anglicos in linguam latinam translatis exhibet Dn. D. Mayerus in *Epistolâ citatâ*, ubi legi queunt. Cum autem non hæc solum, sed alia quoque opuscula Sociniana in Anglia edita, quæ in nostris locis haberi vix queunt, in *Bibliothecâ instructissimâ B. Dn. Winkleri*, Senioris quondam Hamburg. vigilantissimi, nunc heu! desideratissimi, favore Filii ipsius gloriæ Paternæ feliciter æmuli, ac Professoris Gymnasii Hamburgensis solertissimi, Amici nostri dilectissimi, videre mihi licuerit, haud abs re esse existimo catalogum eorundem apponere, versis pariter in linguam latinam illorum, quæ anglicè consignata sunt, titulis. Sunt autem seqq.:

1 Dia-

1. *Dialogus per modum quaestionis & responsionis, concernens Deitatem, Responsio-
nibus omnibus verbatenus ex scriptura S. desumptis.*
2. *Brevi sed clara confutatio doctrinae de Trinitate.*
3. *Vindictio Unitariorum episcopica, contra recentioris Reverendi Autoris (D.
Wilh. Sherlock) librum de Trinitate, Londini 1690.*
4. *Responsio ad D. Wallis tres literas, concernentes doctrinam Trinitatis Lond. 1691.*
5. *Ariani vindictio sui ipsius, contra D. Wallis quartam Epistolam de Trinitate
1691.*

6. *Consensus Unitariorum cum Catholica Ecclesia, exhibens exactam responsionem
contra Joh. Edwards & exceptiones Episcoporum Chichestrensis, Worcesterensis, ac Sa-
lisburyensis, ut & DN. de Luzancy 1697.*

7. *Divina Unitas adhuc semel asserta, seu, Considerationes probaturae, quod Deus
sit una simplex essentia & Pater Domini Nostri Jesu Christi, in Epistola ad amicum 1697.*

8. *Fundamenta & occasiones Controversiae de Unitate DEI & Methodi, quae ean-
dem fuerit tractata & media eandem componendi Lond. 1698*

9. *Vera & antiqua fides de Divinitate Christi explicata & asserta contra D. Bul-
li Judicium Ecclesiae Catholicae, ann. 1695. (Qui tractatus adjunctus est duobus tractatibus
Clarckii §. 10. Sect. 2. commemoratus.)*

10. *Luca Mellieri V. D. M. (sub quo nomine latet Sam. Crellius, Joh. Crellii nepos)
fides primorum Christianorum ex Barnaba, Herma & Clemente Romano demonstrata,
defensionem fidei Nicenae D. Georg. Bulli opposita Lond. 1697.*

11. *Tractatus duo concernentes Trinitatem & Divinitatem Sancti nostri Serva-
toris, nempe, 1. humilis inquisitio in Scriptura doctrinam de Jesu Christo, seu breve
argumentum spectans ejus Deitatem & gloriam juxta Evangelium. 2. Resolutio obje-
ctionum contra doctrinam SS. Trinitatis, una cum terminis Ecclesiasticis huic doctrinae
inservientibus. A. 1703. (Simulat Autoris, se credere Trinitatem, sed ludit in vocibus)*

Imò, ne quid deesset scriptorum malorum, damnabilis tractatus: *plato-
nismus explicatus*, qui gallicè apud Batavos editus erat, quae ratione
etiam allegatur à May 10 l. c., atque dogma S. S. Trinitatis ex Plato-
nismo derivare, (et. frustra, vid. B. Carpzovii *diff. de Trinitate Platoni-
ca*) laborat, in Anglicum idioma conversus fuit.

§. VIII. Equidem in Anglia non defuerunt quoque defensores SS.
Trinitatis, ex quibus nonnulli sub init. §. 7. Sect. hujus nominete-
nus jam sunt expressi, & plures adhuc restant, ut *Joh. Tillotson* Archi-
Episc. Cantuariensis, *Gilbert. Burnettus* Episcop. Salisburienensis, *Wilhelm.
Sherlock* Decanus Aedis S. Pauli Londinensis, *Robert Southus* D. Theo-
logiae, *Joh. Wallis* Theol. D., *Luc. Milbourne*, *Jonath. Edwards* D. Th., *Joh.
Edwards*, *H. de Luzancy* V. D. Minister, *Franc. Gregorius* Th. D., *Edward.
Stillingsfleet* Episc. Worcesterensis; illorumque tractatus quosdam
(quorum etiam nonnulli in *Aët. Erud. Lips.* recensiti reperiuntur,) hic
paulo post adscribemus: interim duorum primorum ex istis scripta, à ma-
tevolis quibusdā ipsi Socinianismi sunt accusata, licet ab aliis defen-
sa. Quorum pertinet *Joh. Williams* Vindictio *Sermonum Tillotsonii*. In primis
autem

autem Socinianis animus crevit ex Doctorum Anglicanorum circa explicandum Myſterium SS. Trinitatis inter ſemetipſos controverſiſ; qvalis non abſq; animorum contentione inter *Sherlockum & Southum* fuit agitata, qvamvis *Stillingfleetus* in Tractatus doctiſſimi Ann. 1697 anglicè editi, cui titulus: *Vindicia pro Doctrinâ de SS. Trinitate, unâ cum objectorum nuper à Sociniano ex Scripturâ, Antiquitate & ſanâ ratione, ſolutione, præfatione, viros illos non in reipſâ, ſed phraſi tantum (interdum tamen ſatis dura) diſſentire, oſtendere conentur; additâ ſeriâ ad vitandas in materiâ omnem captum noſtrum ſuperante, contentioſas Diſputationes, adhortatione, ſolidaqve, qvôd ipſemet receptæ de SS. Trinitate explicationi inhærere gaudeat, conteſtatione. Datâ hâc occaſione, laudatiſſimus vir ex profeſſo commemorat diverſos Doctrinam de SS. Trinitate proponendi modos, qvôd poſt ipſum fecerunt prælaudatus D. D. *Mayerus* in *Epist. cit.*, nec non celeberrimus Dn. D. *Zachar. Grapius* Collega conjunctiſſimus, in *Diſſert. Controverſias ſelectiores & recentiores de Myſterio SS. Trinitatis* ſiſtente, ubi judicium ſuum de ſingulis breviter ac ſolidè interponit, Ann. 1703 edita. Viſis nempè variis explicandi modis, qvintuplicem inter Anglos defendi Trinitatem, commenti ſunt Sociniani, referente *Stillingfleet* l c.: *Ciceronianam*, cujus *Patroni* per tres Perſonas exemplo *Ciceronis* tres tantum diverſas relationes intelligant: *Carteſianam*, qvâ tres infinite mentes ſeu Spiritus unum DEum conſtituere dicantur; *Platonicam*, qvam profitentes tres divinas & coæternas Perſonas, dignitate, potentiâ & reliquis Attributis ſuis ſibi invicem ſubordinatas admittant; *Ariſtoteleam*, in qvâ unum eſſe ſtatuant DEum, qvoniâ tres divina Perſonæ eandem numero ſubſtantiam conſtituant: & deniq; Trinitatem vulgi, b. e. pigrorum quorundam hominum, qui breviter dicant: Myſterium eſſe Trinitatem, qvibus verbis Autores *Act. Lipſ.* mentem *Epilcopi* prælaudati breviter exprimere aggreſſi ſunt, Ann. 1698. p. 496. Ad primam autem claſſem refertur *Job. Wallis*, docens, Perſonam divinam eſſe reſpectum DEI in relatione ad creaturas. Fundamentum denominationis eſt, qvia *Cicero* dixit: Tres perſonas ſe unum ſuſtinere, actoris, rei & Judicis. Ad ſecundam *Sherlockus*, Ad tertiam *Radulphus Cudworthus* in *Genuino Syſtemate Intellectuali Univerſi*, docens, in DEO eſſe Trinitatem Perſonarum non diverſarum genere, neq; tamen ejusdem numero ſubſtantie; ſed coæternarum, ejusdem plane generis ac naturæ, qvô reſpectu iis homouſiam tribui contendit, verum ita, ut non ſint æquales, ſed ſibi ſubordinatæ; unde ejus ſententiam*

rentiam mollem Arianismum vocant. Ad *quartam Southus*, ubi notandum, talia verba adhibere *Southum*, quæ Sabellianismum involvere videntur, licet illa ex aliorum *Southi* verborum collatione ita explicet *Stillingsfleetus*, ut haud diversa sit ipsius sententia ab ea, quæ inter Theologos Orthodoxos recepta est. *Vid. A. E. L. l. c. p. 499.* Ad *quintam* refertur *Luzancy*, nec non *Franc. Gregorii. Dn. D. Mayerus* quinto loco recenset sententiam *Hookeri*, in *Politâ Ecclesiasticâ* propositam, qui defendere à Socinianis dicitur *Trinitatem Proprietatum*, imò & *Contradictionum*, quia asserat quidem, Personas Divinas constitui per Proprietates relativas: *esse à nullâ Personâ, esse à Patre, & à Patre Filioque procedere*; verum sententiam suam non satis explicet. Nam per proprietates Personæ etiam distinguuntur, ut evitemus confusionem Sabellianam. Equidem certum est, cavillationes Socinianorum, ex nasuto rationis dictamine provenientes, nihil nos movere debere; interim negari nequit: eos, qui ad ultimam classem pertinent, si terminos ab Ecclesiâ receptos retinere haud consultum judicant, præter rem timidos esse, neque sufficienter causam receptionis terminorum illorum ab Ecclesiâ factam perpendisse, vid. *suprà Cap. I. §. 4*; illos verò, qui sub reliquis classibus conspiciuntur, rationi suæ nimium quantum in rimando hoc tremendo mysterio fidere. Utinam vero ipse *Bullus*, quem allegavimus *Sect. II. §. 10*, magnisque communiter recteq; extollitur laudibus, libri allegati cap. 4. non defenderet subordinationem *Filii DEI* ad Patrem; quoad hoc ipsum meritò castigat⁹ à *Leydecker*, quem citat *Kettnerus l. all. §. 12*. Calvinum ob vocem *αὐτοθεῖα* Bullo vapulantem, eo in passu jam defendit *B. Carpzov. jf. in lib. symb. p. 83*. Sana Theologia tã eò nos ducit, ne ultrà modum philosophari in re planè incomprehensibili conemur; ex quo principio Scholasticorum subtilitatibus de modo Generationis Filii DEI per intellectum, & Processionis Spiritus S. per voluntatem (cujus generis quoque illa est hominis fanatici *Petr. Pireti* in *append. tractatus de Eruditione p. 435*, quando ait: *quod Pater sit fruendi desiderium Divinitatiessentiale; Filius imago viva & lux Divinitatis, Spiritus verò S. amor ejus, fruitionisq; letitia & acquiescentia essentialis*) aures præbere recusat, vid. *2. Cor. X, 5. Ephes. III, 20*, confer. eã de re *D. Strauchii Breviar. p. 93. defin. 35. Quesnædt. c. 9. qv. 9. p. 387*; quàm ut per sanas receptasque loquendi formulas suspicionem collusionis cum *Anti-Trinitariis* omnium generum evitemus. *2. Timoth. I, 13. 1. Tim. VI, 3. seq.*

§. IX. Ex scriptis DD. Anglicanorum jam ante memora-
torum sunt sequentia.

1. Joh. Tillotsonii Sermones concernentes Divinitatem & incarnationem Sanctissimi nostri Servatoris.
2. Burnetti concio, concernens Deitatem & mortem Christi. (A. E. 1691. p. 213)
3. Sherlocki vindicatio Doctrinæ SS. Trinitatis & Incarnationis Filii DEI, ad notas breves in Symbolum S. Arhanasii, & succincta historia Unitariorum s. Socinianorum.
4. Southi varii tract. contr. Sherlock.
5. Wallisi tres conciones & 8. literæ de Doctrinâ SS. Trinitatis.
6. Milbournæ Mysteria religionis vindicata s. Filiatio, Deitas & satisfactio Salvatoris asserta contra Socinianos aliosq; cum observationibus in nonnullos recentiores illorū libellos.
7. Jon. Edvardi Præservativum adversus Socinianismum, demonstrans oppositionem planè directam inter illum, & religionem à DEO in S. Scriptura manifestatam (A. E. an. 94. p. 472.)
8. Joh. Edvardi Socinianorum Symbolum, s. perbreve examen professionis & Doctrinæ Socinianorum, quo demonstratur, vergere eandem ad religionum omnium everisionem & Atheismum, unà cum antidoto adversus eum.
9. Luzancii aliquot Epistolæ de Doctrinâ Trinitatis, Lond. 1696. (A. E. 96. p. 164.)
10. Gregorii Doctrina SS. Trinitatis, non explicata quidem, confirmata tamen variis S. Scripturæ locis.

II. Stillingfleeti tractatus §. antec. jam nominati, integer titulus sequens est: Vindiciæ pro Doctrinâ de SS. Trinitate, unà cum objectorum nuper à Sociniano ex Scripturâ, antiquitate, & sanâ ratione, solutione: nec non præfatione, diversos doctrinam de Trinitate proponendi modos, & finem ad quem Socinianismus collineat, concernente.

§. X. Pergimus ad Bataviam, ubi hodiè maximam quoque sectarum frequentiam esse, experientia testis est. Non sunt quidem integri cœtus sub Socinianorum nomine ibi noti; quia sc. tale privilegium iis non concessit Magistratus; verum, quod sub *Mennonitis* atque Remonstrantibus lateant, jam indicatum est §. I. *hujus sect.* Equidem, quod planè libera antehac fuerit terra Batava ab omnibus Anti-Trinitariæ sententiæ fautoribus, asserere nolumus; scientes, *Hermannum van Vleckwyck*, à *Sandio Bibl. p. 60.* memoratum, an. 1469. ob disputationem *de vulgò recepta Trinitatis opinione*, cum Fratre *Cornelio* habitam, ibi combustum esse: interim tamen certè latius diffeminatus est error, cum ex Polonia duo strenui Sociniani, nempe *Christ. Osterodus* & *Andr. Voidovius* illuc venirent an. 1598. Non defuerunt enim tum, qui istis aures commodarent, inter quos Calviniani *Jac. Arminius* recensent, quâ de re nos hâc vice judicare nolumus. De *Conr. Vorstio* res non est neganda, quem in Belgio, Jacobo I. Rege Angl. cooperante à Professione exclusum, tanti æstimarunt Sociniani, ut etiam in synodo an. 1600. habitâ concluderint, cum ad *Gymnasium Leclaviesianum regendum* vocare, ceu testatur *Sand. Bibl.*

Bibl. Anti-Trin. p.98. sequentia adjungens: *in quam estimationem Unitariorum scripta habuerit, palam esse.* Status a. Hollandiæ post acceptum Leydensium Theologorum judicium, Socin illos relegarunt, qui contra Decretum Relegationis Apologiam ediderunt; libri autem eorum combusti sunt. Anno 1639. *Georgius Racovius Princeps Transylvania Epistolam Job, Sartorii an. 38. d. 24. Julii ex urbe Amstelodamensi ad Adam, Francum Claudiopolin datam, in Hollandiam remisit, ex quâ patuit, exules illius sectæ Polonos cogitasse semet eò conferre, Remonstrantibus ipsos pro fratribus recepturis. Sed eodem anno Clerus ab Holland. Statibus per scriptum, Remonstrantia dictum, petiit, ut severis mandatis malo irruenti se opponerent, speciatim etiam librorum ejusmodi impressioni atque venditioni. Tùm factum est Decretum Sociniani adversum. Sed postea, cum rigor cessaret, hi homines nihilominus conventus habere cœperunt, & libros in bibliopoliis publice vendere, sicut e. g. *Volkellii* libri, licet a 1642. Amstelodami combusti essent, Roterdami tamen an. 1649. in ipsa belgicâ lingvâ editi sunt. Sed tùm An. 1653. Decretum rigorosius factum est, quod verbotenus extat apud *Benthem*. l. c. p. 885. In eo decernitur, quod illi Socin., qui conventus habeant, tanquam blasphemii & pacis perturbatores ex Batavorum ditionibus sint relegandi, impressores autem librorum talium blasphemorum 3000, & Venditores 1000 florenis multandi. Hoc edictum cum effectui esset datum, non ausi sunt Sociniani publicos conventus adornare; apologia tamen illi per Equitem Polonum, quem *Slichtingium* esse existimant, opposita fuit. Si quis nomina Socinianorum, qui in Hollandiâ aut nati sunt aut ibi vixerunt, præcipuorum, videre desiderat, conferre poterit eundem *Benthemium* l. c. p. 890. seq., ubi inter adductos notissimi sunt *Johannes Socinus* s. *Sartorius* Polonus, qui proscriptus ex patria, ad tempus ibi vixit, licet in patria tandem mortuus sit, nec non *Wissowatius*; sicut ex Arianis apponuntur *Sandius* ac *Felbingerus*. Nescio tamen, quomodo *Adam. Boreel.* inter Socinianos Arianis distinctos referri potuerit, cum Separatistis veniat accensendus, juxta ea, quæ allata sunt ib. p. 895. *God. Arnoldus* in der Kirchen- und Reher. Historie P. II. l. 17. c. 13. §. 11. ex *Croesii Hist. Quakerismi* l. 3. p. 496. addit, quod Clerus Holland. an. 1664. congregatus, à Statibus renovationem decreti mox memorati expetierit: sed tunc temporis responsum acceperit, propter alia negotia tempus sibi ad hoc ipsum non suppetere. Illud certum*

tum est, satis magnam impis indulgeri licentiam, ceu l. ex eo patet, quod integra *Bibliotheca Fratrum Polonorum* Irenopoli, 1656, reverà Amstelodami an. 1668, impressa sit, juxta Sand. l. c. p. 79, vid. & p. 258. in *vita Wiss.* Magnopere de licentiâ illâ libros quosvis edendi, quæ etiam Biblia protrusit à *Dan. Brenio* conspurcata, conquiritur F. Ullr. Calixtus *Diss. de Aeterni Patris aeterni Filii divinitate* §. 13, seq. verbis: *Usurpata quidvis sine censurâ edendi & divulgandi licentia sic ibi invaluit, ut etiam ipse Sacrae Scripturae Codex corruptricem editoris subierit manum, Biblia intelligo Amstelodami an. 1664. edita, Socinianis Dan. Brenii Annotationibus deturpata, multisque magis nocituris quàm profuturis accessionibus locupletata. Ouzinam ista sic corrupta Biblia lucem nunquam viderent! De incremento, quod cœpit secta pestilentissima, testatur præter alios *Dav. Knibbe* qui compendium edidit Socinianismi confutati Hoornbeckii. Eodem tendunt, quæ affert *H. L. Benthemius* in *Holländis. Kirch. und Schulen. Staat* p. 6. quando ait: *Ich muß bekennen, daß es all schwer sey, die grosse Religions. Freyheit in Holland mit den Regeln der Schulen Christi zu vereinigen.* Cum itaque paulo post retulisset, Socinianos sub nomine Mennonitarum doctrinam suam audacter profiteri, quin & quæsitos à professione Socinianismi non abhorre, hanc addit epicrisin: *Ich meyne, es sey eine sichere Mittel. Strasse zwischen dem Verfolgen mit Feuer und Schwerdt/ und zwischen der Verwilligung, daß gottlose Lehre öffentlich getrieben werde.**

§. XI. In *Galliâ* tempore persecutionis Reformationum ab hoc Rege excitatæ, non defuere sub eorum numero clancularii Socinianismi propagatores, prout refert in *Representatione Socinianismi* sub initium *P. Jurius*. Sic in *Pictonibus* quidam eam ob causam Ecclesiasticis munere fuit privatus, atque nonnulli alii in *Andegavensi* provinciâ detecti sunt. Et tales quidem universalis Reformationum ex *Galliâ* proscriptio, ad minimum maximâ ex parte, fugavit: verum neque Pontificius Clerus ab hac lue planè mansit liber. *Daniam Sveciamq;* peste Socinianâ inficere, suisque fociis in illis, vel aliis, Regibus illarum subjectis, terris sedem acquirere tentavit *Stan. Lubieniecius*, cum Polonia eodem severo mandato ejiceret. Vid. *vita ejus, Hist. Reformation. Polon.* præfixa. Nimirum per aliquod tempus in *Pomeraniâ* commoratus fuit, Tractatus pacis Svecos inter ac Polonos expectans, ubi cum variis Regis Magnatibus commercium incepit literarium, nec non cum ipso Rege A. 1657. collocutus est, quavis data occasione pro Religione suâ verba faciens. Specia-

tim,

tim, quomodo Comitem Slippenbachium Elbingæ degentem ad suam sollicitaverit impiam fidem, l. c. legi potest. Vigilarunt interim ibi locorum pro orthodoxia Theologi, inter quos ceu primarius nominatur *Job. Micralius*. Spe itaque suos huc transportandi non affulgente, *Daniam* ingressus est idem *Lubieniecus*, ibique in colloquium *Regis* ob peritiam status variasque, quas ex commercio literario habebat, relationes admissus. Nihil tamen ille respectu receptionis Socin., quam se connivente posse eos *Altenavia* habitare, seorsim *Lubieniecio* dixit. Interim *Autor vitæ* modo citatus, non intermittit more Sociniano gloriari, quod *Rex*, quotiescunque *Lubieniecium* in aulâ conspexerit, relictis ceteris, eum, propius ut accederet, compellere, & de Religionis capitibus imprimis colloqui solitus fuerit, timentibus Theologis, ne *Rex* fieret *Arianus*. Qualem autem libertatem *Altenavia* obtinuerint, ex propriâ patet autoris illius in paulò post sequentibus relatione: quod ipsius *Lubieniecii* funus ibi legitimo prohibuissent *Concionatores seipulchro*, nisi jam in templo *Altenaviensi* emptum fuisset:

§. XII. Ex celeberrimâ *Borusorum* Urbe *Dantisco* prodiit jam ante memoratus *Dan. Zwickerus*, Medicinæ D., qui An 1678. *Amstel.* obiit. Ex eodem loco oriundus fuit *Matth. Radcius*, primum ibi Secretarius (juxta *Sand. Bibl. p. 84.* Syndicum eum fuisse dicit *Arnoldus Kir. Hen. und Reher. Hist. P. II. l. 17. c. 13. §. 16.*) post Pastor inter Socinianos. *Martinus Ruarus* quoque *Krempâ-Holsatus*, cum *Altorffio* ob hypotheses Socinianas expulsus esset, post Rectoratum *Racoviensem* Pastor Socinianus fuit *Strasfini* ad *Gedanum*, referente *Sandio Bibl. p. 114.* Verum in *Actis Er. Lips. a. 1683. p. 21*, ubi excerpta sistuntur ex *Cent. secundâ Epistol. Ruari*, expressis verbis affirmatur: quod Ecclesiæ ministri munus inter suos nunquam gesserit; sibi tamen haud potuerit temperare quò minus errores suos disseminaret: unde & suis concionari fuit solitus. Cum igitur illud *Gedani*, ubi sibi post varias migrationes per Germaniam, *Daniam*, *Angliam*, *Belgium*, *Galliam*, *Italiam*, maximè autem *Poloniam*, factas, tandem domicilium legerat, effectui quoque dare haud intermitteret, urbe excedere iussus est, (atque tum *Strasfinii* degit) cum socero suo *Mart. Vossio*, qui vendebat libros Socinianos, *Flor. Crusio D. Medico*, *Dan. Zwickero*, & *Ladebachio* Secretario, nec non *Wernero Büttelio* Tonfore. Alii Sociniani cives innoxii in urbe remanserunt, informationi Theologorum commendati. vid. *Hartknocks Preussische Kirchen. Hist. l. 3. c. 9. p. 824.* Postea tamen *Ruarus* à *Poloniæ* Regibus *Vladislao* & *Johanne Casimiro* inter Ministros cooptatus, libertatem hoc ipso, ubi vellet, commorandi & sacra sua peragendi, nactus



ctus est. Inter Reformatos *Joach. Siegmannus* Pastor Petrinus in eadem civitate, Socinianis favit. Detectus itaque à munere fuit depositus; verum apud Socin. iterum primò Rector Gymnasii Racoviensis, ac deinde Pastor Claudiopolitanus factus, mortuus an. 1632.

§. XIII. Quoad Germaniam nostram dulcissimam, durante adhuc religionis libertate Socinianorum in Poloniâ, doctrina illorum nonnullos reperit fautores, ceu testantur exempla Apostatarum Saxonum *Job. Soneri* (qui tamen *Davidis* affecla fuit) Pirnensis Misnici, *Job. Volkeli* Grimmenfis, *Christ. Osterodi* Goslariensis, *Valent. Smalcii* Gothani. Vid. *Arnoldus l.c.* & *Sandius* in *Bibl. Anti-Trin. In Academia Altorffina Ernest. Sonerus*, Medicus & Philos. Crypto-Socinianus, ita se gessit, ut præter alios seduxerit memoratum *Mari. Ruarum*, ut & *Job. Crellium* Francum, qui, ceu in vitâ ejus refertur, fuit quidem per aliquod tempus, quo in Academiâ laudatâ vivebat, Socinianismi fautor, verum vix antè cognitus, quàm in Poloniam abiret, ubi *Racovia* primum Rectoris, deinde Pastoris munere functus est. Senatus autem Norimbergensis vigilantiam factum, ut complices illi excedere ditione memoratâ cogerentur, libris Socinianis publicè combustis. Conf. *Epist. Piccarti*, quæ est inter Epistolas *Gudianas* à *P. Burmanno* editas num. 183, & commemoratur in *Act. Er. Lips. an. 1697. p. 146. Arnoldus l.c. §. 12.* addit, circiter 30. Studiosos hujus rei ergò accusatos, & cum quibusdam civibus captivitati traditos fuisse, cumque relegarentur, magna ex parte *Jenam*, *Wittebergam* atque *Helmstadium* ad dogmata sua propaganda ivisse; ubi tamen sufficiens adversus malum haustum antidotum reperire potuerunt. In *Silesiam* nonnullos exulum Polonorum se contulisse, jam dictum fuit. Vixerunt autè ibi sub *Lignicensium* & *Bregensium Ducum* protectione, juxtà vitam *Wissowatii* p. 258. Idem testatur ipsorum Exulum *Epistola A. 1661. Cruciburgi d. 17. Junii* ad N. N. exarata, quæ annexa est *Lubienicæ Hist. Reformat. Polon. cap. 18.* Scribunt nempe p. 298: *Cruciburgi* in ditione Ducis Bregensis (quæ nunc ab anno 1675. Imperatori Romano paret) maximam suorum partem confedis, concessâ privatim religionis libertate, ita ut p. seq. Ducis, Consiliariorum, quin & Ministrorum Aug. Confessionis favorem deprædicent. In *Palatinatu Rheni* quoque Elector in nova restauratâ *Coloniâ Manno* an. 1663, habitationem exulibus Polonis concessit, quorsum venerunt *Andr. Wissowatius* & *Stegmann* Junior cum familiis quibusdam, & per tres annos ibi vixere. Cæterum cum oretenus scriptisque

ptisqve sparsis incolas seducere conarentur, Heidelbergæ iis injunctum fuit, ne posthac cum quoquam subditorum de Religione conferrent; licet de favore Principis erga Wiffowatium more solito gloriatur Autor vitæ ejus p. 252, quasi ille non hac ipsâ clementiâ (haud secus ac Silesii ante laudati) occasionem ad deducendos ab errore homines quærare pouterit. Verum mandato illo a proposito suo retractus *Wiffowatius*, accedente belli pestisq; furore cum suis abiit, vid. *ib.* p. 258. Invaserat autem jam ab an 1570. Palatinam Ecclesiam atqve Academiam Heidelbergensem pestis Antitrinitaria, autoribus *Adamo Neusero* ante memorato apostatâ, primò ad Anti-Trinitarios, postea ad Turcas prolapsa, & *Joh. Sylvano*, ob turbas capite truncato. Vid. *Spanhem. Elench. Controvers.* p. 140. *Hamburgum* ante nominatus *Lubieniecus*, tanquam commodissimum proposito suo locum, ubi degeret, elegit, eodemqve uxorem suam ann. 1662 Sedino adduxit. Tum ab eo cum *Reginâ Christinâ colloquia sacra & sapientius habita, præsentem Oratorem Casareum aliorumqve Principum, nec non Duce Mecklenburgico, à quo postea invitatus, respectu exulum polonorum benignam declarationem retulit*, ceu refert Autor vitæ ipsius *Hist. Reform. Pol.* præfixa. Verû sicut priora ob eruditionis ejus prudentiæq; *Lubien.* famâ facilè largimur; ita de ultimo non solum eventus, sed etiam consuetudo in gloriando liberalitas nos dubitare sinunt. Forsan *Autor* ille petitum *Lubieniecii* cum declaratione Principis confudit. Per eundem hyperaspisten Sociniani à magistratu urbis Friderici politanæ in Ducato Holsatæ libertatem habitandi, religionemqve privatim in ædibus exercendi obtinuerunt; ast jussu Principis Holsatiæ iterum abire coacti sunt. Neqve etiam *Hamburgum* hominem Socinianum ferre potuit. Vigilantibus enim pro veritate Theologis atqve magistratu, urbe excedere jussus est *Lubieniecus*. Cumqve post aliquot annos nihilominus eodem reverteretur, nimis vigilantem experiri est *Dominum Edsardii* (intelligit maxime venerabilem *Edram Edzardum*) *Licentiatum Theologiæ, qui indefesso studio id egit, ut cum collegiis suis Magistratum incitaret, ut Lubieniecus urbe ejiceretur, quæ verba sunt auctoris Vitæ Lubien., qui etiam sequentia, in se ex parte, ceu statim dicitur, verissima, sed animo impuro prolata, subjungit: Dignus qui hic nominetur, gloriatur enim, se auctore* (hic potius, cum vana, qualem auctor iste intendit, gloriatio à viro ejusmodi pio longissimè absit, substituendum: verè affirmare potest, se & reliquis gloriæ Dei amore commotis Viris cooperantibus) *Lubieniecum cum familia urbe exactum.* Quis nisi impius, non laudaret serium illud, in impediendis Majestatem Dei Trinunius lædentibus opinionibus, à laudatissimo Theologo in celeberrimos quoque filios (cujus rei inter alia testis est *Dissert. de verbo substantiali Auctori Bilivæ*

oppo-



opposita DN. *Sebast. Edzardi*, Gymn. Hamb. P.P. cel.) transplantatum studium. Quod in *Marchiam* quoque *Brandenburgicam* atque *Borussiam*, Electori Brandenburgico, (Glorios. hodiè *Russiarum* Regi) subjectam, se contulerint nonnulli Socinianorum exilium, ante audivimus. Jam an. 1576. *Raphael Ritterius* (de quo supra, quique ex Angliâ Regiomontum venerat) scriptum ibi impium edidit, eodem loco nominatum. Circa an. 1640, Socinianismus in terra ista haud parum negotii dedit, seducto inter alios *M. Valent. Baumgarto* Memmeleni, Regiomonti degente, qui quidem re comperta, anno memorato doctrinam Socinianam habita oratione detestatus est, verum nihilominus postea ad eandem publicè accessit. Elector v. *Georgius Wilhelmus* non solum librum *Melch. Schafferi*, de quaestione: *Ob Christus aus eigener Krafft von den Todten auferstanden* per Theologos Regiomontanos refutari iussit, quod præstitit *B. Calovius*; verum etiam accedente Statuum Borussiarum de Socinianismi propagatione querelâ, eo ipso anno Edictum contra Socinianos promulgavit; sed hoc eventu, ut non in totum extirpatus sit Photinianismus. Vid. *Hartknoch* l.c. p. 489. 593. & p. 647. ubi adjicit: quod publicus Religionis cultus ipsis nunquā concessus sit. Conf. & G. Arnold. R. II. R. H. P. II. l. 17. c. 13. §. 3. qui hæc quoque §. 4. adjungere haud veretur: *Daß der Socinianismus, sonderlich in diesen letzten Jahren / durch Teuschland unvermerck gar sehr außgebreitet worden / also / daß auch an einigen grossen Höffen woll auch die grössten Ministri demselben zugethan seyn.* Quod quidem, quia ratione tam fidenter asserere audeat Arnoldus, ignoramus. Edita quoque est *Epist. anonymi ad Amicum*, in quâ & de quæsitâ à Socinianis receptione & ejus nullitate tractat. Attendi interim merentur verba *Benthamii* in *Englischen R. und S. Staat præf. §. 8*: *Unter dessen / da viele der sogenannten Pietisten an keine gewisse formulam Confessionis wollen gebunden seyn / und die andern einzig und allein bemühet seyn / wie sie den Enthusiasmum und Chiliaismum vertreiben wollen / so schleichen Papillen / Calvinillen und die Socinianer häufig ein. Spectant illuc indifferentiarum conatus, ac speciatim impia scripta, quibus Salvatoris nostri meritum impugnare sub pietatis specie haud verentur Novatores, quæ est, ut unum adducamus, *Democriti Christiani* Anno 1700. Fecuri editum sub tit. *Apostolischer Wegweiser* / atque novo titulo: *Evangelische Vorstellung der wahren Rechtfertigung* Anno 1705. ornatum. Utinam omnes & Theologi & Magistratus observarent monitum, quod protulit *Hoornbeekius* summa Controv. p. 569: *Quò magis s. clam s. palam, s. proprio nomine s. sub alieno sese quæqua versus ingerit Socinianismus, eo solertius & validius ei omni modo occurrendum, politicè & ecclesiasticè, quodq; utrique inservit, etiam scholasticè, i.e. ut in Academia diligenter instruantur studiosi de malitia & contagio hæresis, -- & quibus argumentis confundi & destrui possit.* Nititur sane monitum illud immota divina Scriptura Tit. 1, 9. 10. 2. Tim. II, 17. 25. IV, 2. seq.*

§. XII. Hæc igitur est, L. B. breviter a nobis rudique, ceu vocant, penicillo representata *Damnabilis Socinianismi gangrana*, quam *Faustus Socinus*, præjudicio autoritatis Patrii & ingenii sui præstantiæ nixus, non obstante totius Ecclesiæ ac Symbolorum œcumenicorum dissensu, licet ad salutem, ipso fatente, necessaria non esset, permittente id, ut suos excitaret atque exerceret ministros, DEO, (vid. *August. l. de vera relig. c. 25. & Calixtus l.c. §. 14.*) omni nisu disseminavit; quæque rationem humanam (quam tamen unusquisque in naturalibus rebus infirmam quotidiè experitur) divini verbi assertis præponere audet. Placuit illa quoque hominibus nonnullis opinione præstantiæ suæ turgentibus; verum iis, qui verbi divini ductum sequentes, DEUM plus facere posse credunt, quam nos intelligimus, nulla hæresis pestilentior aut absurdior apparere potest. Nos spatio destituti, nihil nunc addimus, nisi votum: *DEUS pacis conterat Satanam sub pedes nostros cito! AMEN.*